


05

A

510





DE
PASSIONE

DOMINI & SALVATORIS NOSTRI JESU
CHRISTI,

QVÆSTIONUM SEMIDECAS

Quam

EJUSDEM ADSPIRANTE GRATIA,

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QUENSTEDT,

SS. THEOL. D. & Prof. Extraord. Coll. Phil. Adj.

*In Auditorio publico Collegij Veteris
defendet*

M. PAULUS PHILIPPUS RÖBERUS

Wittebergensis Saxo Theosophiæ Studiosus.

add. 2. Aprilis horis matutinis

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO MDCLVI.

13

PASSIONE

DOMINI & SALVATORIS MORTIS

CHRISTI

QUAESTIONUM SEMIDECAS



IOHAN. AN. QUENSTEDT.

22 THEOL. D. & THEOL. EXERCIT. GOTT. PH. H. A. P.

05 A 510

M. P. A. H. I. S. P. I. L. I. P. P. I. S. R. O. B. E. R. T. U. S.

Wittenbergensis Saxo Theologiae studiosus

Typis JOH. WILHELM. FINCKELI

ANNO M. DC. LXXV.

Wittenbergae in Officina Typographica

IN NOMINE JESU CRUCIFIXI!

PRÆLOQUIUM.



Ulm CHRISTO patiente colloqui, i. e. de extremâ servitute, quam pro nobis rerum omnium Dominus subiit, ac acerbissimâ morte, quam pro nobis autor vitæ & princeps sustinuit, devotè meditari & sermocinari, nec indecorum Christiano, nec injucundum nec infructuosum esse potest. Non indecorum. De hoc enim tremendo divinissimæ passionis ac mortis Domini JESU arcano cum Christo colloquendi materiam sumere non dubitarunt Prophetarum summi & æternitatis candidati, Moses & Elias, ἐν δόξῃ in gloriâ & majestate corporum suorum clarificatorum visi in monte Thabor. Ita namq; Evang. Lucas, summam colloquii illius solus annotans ait cap. IX. 31. *Visi in majestate dicebant exitum ejus, quem completurus erat in Hierusalem.* ἐλεγον τὴν ἐξοδὸν αὐτοῦ h. e. de passione & morte ejus (hanc enim ipse Christus *abeundi* voce designat,) quæ in urbe sancta esset eventura, agebant. Gentium Doctor Paulus Græciæ ὑπεροχῇ τῆς σοφίας καὶ πειθοῖς ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις i. e. *singulari sapientia humana eminentia, verbisq; maximè persvasoriis* suam de Christo ἐσαυρωμένῳ prædicationem, I. Cor. I. 23, opponens I. Cor. II. 1. & 4. inquit vers. 2. *Non judicavi me quicquam scire inter vos, nisi JESUM CHRISTUM, καὶ τὸν, & hunc* (modum considerandi hac voce simul determinat,) *crucifixum.* Idem Gal. VI. 14. dicit; *Mibi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Paulum sequutus Claravallensis Abbas Bern-

hardus super Cantic. serm. 61. *Hac mea, ait, sublimior
Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum.* Et Tom. I.
sermon. de Passion. Domini pag. 193. edit. Paris. anno
1586. *Ubi est gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine cru-
cifixi Domini Dei & in Christi nomine &c. Non injucundū:
Nam, quid inter omnia opera DEI, in quibus humane ad-
mirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis
nostrae & oblectat & superat, sicut passio Salvatoris?* docen-
te Leone M. sermon. II. cap. I. de Passion. Dom. fol. 120.
Non deniq; infructuosum. Devotâ enim passionis Chri-
sti meditatione ad seriam peccati, quod non nisi Filii
DEI sanguine expiari potuit, agnitionem, ad veram
pietatem, humilitatem, patientiam, charitatem, obe-
dientiam, cæterasq; virtutes, quæ singulari quadam
ratione in hac unâ passione elucet, accendimur &
inflammamur. Bernhardo Sermon. 62. super Cantic. *Quid
tam efficax ad curanda conscientiae vulnera, nec non ad pur-
gandam mentis aciem, quàm Christi vulnerū sedula medi-
tatio?* Idem alibi: *Memoria crucifixi crucifigit in no-
bis omne peccatum.* In passione itaq; Domini, quâ sa-
lus datur homini, sit nostrum desiderium & cordis re-
frigerium! *Toto nobis figatur in corde, qui pro nobis fixus
est in cruce,* August. lib. de S. virginis. cap. 55. Tom. 6.
Redit autē sacratissimum illud divinæ ἀγωνίας tempus,
& Ecclesiam Christianā ad anniversariam acerbissimæ
passionis Dominicæ contemplationem ac meditatio-
nem excitat & invitat ἡ μεγάλη εβδομάς, in quâ innu-
mera tormenta & mortem deniq; ipsam, eamq; igno-
miniosissimam subiit magnus ille Poli, Soli, Salique
moderator & μεσίτης noster JESUS CHRISTUS. Et licet
non tam fari hoc tempore, quàm silere, imò obstupe-
scere oporteat, nihilominus, tamen, ut admirandam
Domini

Domini humilitatem, ejusq; in nos ineffabilem amo-
rem penitus introspeciamus, ipso Domino benè juvante,
in duabus disputationibus Passionem ejus sic conside-
rabimus, ut tantum principales quæstiones ad du-
ctum S. Scripturæ enodemus.

QVÆSTIO I.

Quis est passus?

§. 1. Passus est ipseus DEI Patris & Mariæ semper Vir-
ginis filius, JESUS CHRISTUS, Ἰησὺς Χριστὸς, verus DEUS &
verus homo, in unitate suæ indivisæ personæ, ex & in
duabus naturis, divinâ & humanâ, ἀδιαστάτως, ἀχωρί-
τως, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως ἀδιαίρετως, indistanter, inseparabi-
liter, inconfusè, inconvertibiliter & indivisè inter se copulatis,
veramq; & realem κοινωνίαν inter se habentibus, mirabiliter
singulari & singulariter mirabili, adeoq; inenarrabili inter-
veniente unione personali constans. Dux & Sol Propheti-
ci chori, Evangelista tamen magis, quàm Propheta, Esaias cru-
entam Christi passionem luculentissimè describens ait cap.
LIII. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse
portavit, v. 5. ipse vulneratus est propter iniquitates nostras &c.*
De Christo hinc sermonem esse dubitare nos non sinūt Evange-
lista Matthæus & Apostolus Petrus, quorum ille cap VIII. 17.
hic I. Ep. II. 24. locum hunc de Christo interpretatur, eiq;ve
applicat. Nec Chaldæus Paraphrastes Jonathan, Uzielis fi-
lius & vetustiores Judæi diffitentur ad Mesiam referri. Quid-
quid etiam obganniant Judæi recentiores & Semijudaizantes,
vide Jac. Martini lib. III. de Trib. Eloh. cap. 103. seqq. & Dn.
D. Wellerum in Vatic. huj. explicat. pag. 9. Pronomine autē
ἐγὼ ille ipse (quod emphaticè quinque in hoc capite scil. v. 4.
5. 7. 11 & 12. repetitur) ad πρῶτον εὐαγγέλιον Genes. III. 15.
ἐγὼ ἡσυχίαν ipse conteret, respexisse videtur Propheta, ut erudi-
tè observat jã dictus eminentissimus Theologus Dn. D. Welle-
rus

rus loc. alleg. p. 53. Cap. XLIII. Es. v. 24. dicit ipse Jehova; *Servire me*, (Jehovam, redemptorem tuum v. 14.) *fecisti in peccatis tuis, praeuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Non Deus essentialiter consideratus, ut plurimi interpretum ex Judæis, Photinianis, Pontificiis ac Calvinianis volunt, non personaliter Pater, sed Dei Filius per *ἡμεῖς ἡμεῖς* hic introducitur, adeoq; verba illa *Servire me fecisti*, intelligenda sunt, de servitute onerosa & laboriosâ Filii Dei, quam in generis humani redemptione & peccatorum nostrorum deletione sustinuit. Hanc nostram interpretationem ex Lactantio lib. 4. cap. 19. desumpsisse Leonem Castrium fatetur Cornel. à Lapide in h. l. pag. 362. quasi dicat; *Tuis peccatis servire* i. e. *servi carnem induere, servi pœnas scil. crucem, suscipere, me Christum fecisti.* Imò tam tu ô Israel, quàm Pilatus & Romani in morte me tractastis, non tam ut mancipium, quàm ut pecus vel belluam. Zachar. XII. 10. *Adspicient ad me, quem transfixerunt.* Qui loquitur h. l. ille est יהוה extendens cœlum, & fundans terram, fingensq; spiritum hominis in eo v. 1. יהוה צבאות variis plagis exercens Israelitas v. 4. 5. 6. Non verò יהוה Pater, aut יהוה Spiritus S. sed יהוה Filius, Christus Jesus. Patet hoc I. Qui transfixus fuit clavis pro generis humani salvatione, ille hic loquitur per Zachariam, Christus Jesus fuit ille Joh. XIX. 37. II. Qui visibiliter & insigniter effudit Spiritum gratie & precium super domum David & habitatores domus Jerusalem, ille loquitur hic per Zachariam, Christus Jesus fuit ille, Actor. II. 26. Joh. VII. 38. 39. III. Qui videndus est ab universis familiis plorantibus, in visibili iudicii administratione, ille per Zachariam hic loquitur, Christus Jesus est ille, Apoc. I. 7. Vide Dn. D. Dorscheum Pentadec. disp. III. §. 45. & 46. Actor III. 15. dicuntur Judæi *τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς principem vitæ interfecisse* & I. Cor. II. 8. *τὸν κύριον Ἰησοῦς δόξης Dominum gloria crucifixisse.* i. e. ipsum æternum Deum, quippe qui dicitur *DEUS gloriae Actor. VII. 2. Rex gloriae, Jehova fortis Psal. XXIV. 7. 8* Piè Bernhardus in quibusdam sentent. *O quàm indebita miseratio, quàm gratuita dilectio, quàm inopinata dignatio, regem gloriae pro despicatissimo vermiculo crucifigi.* Idem alibi; *Vae mihi, sanus mihi videbar, & ecce mulctatur Virginis Filius, Filius DEI altissimi*

altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis balsamo medeatur. Homo ergo sanctissimus, innocentissimus, & ut Athanasius loquitur, circumcinctus virtute altissimi onus tantæ ac tam horrendæ passionis sustinuit; ipse æternus DEI Filius, JEHOVA, DEus benedictus in secula, Rex regum & Dominus Dominantium convitia, sputa, flagellationes, lacerationes, & exquisitissimos cruciatus perpeffus est; Autor vitæ interfectus est; Immortalis mortuus est; Vita vivere desiit; Conditor Orbis intra saxi angustias conditus est; Quem cælum cælorum non capit, urna cepit. &c: Graviter irenæus l. 5. c. 16. *Ipsum Verbum DEI incarnatum suspensum est super lignum.*

§. 2. Passio autem secundæ divinitatis personæ, sive τῷ λόγῳ competiit non ἁσιωδῶς, quasi ipsa ἁσία divina in se sit passa & mortua, sed ὑποστατικῶς seu per & propter unionem personalem in carne assumpta. Persona, inquam, Filii DEI passioni & mortalitati obnoxia fuit, non natura? Deus passus & mortuus est, non Deitas. (intelligimus autem hîc per passionem, vulnerationes, lacerationes, plagas, cruciatus Christi, quas sustinuisse naturam divinam τῷ λόγῳ negamus, secus blasphemii, opprobrii & convitiis, quæ in ipsum Filium Dei coniecta sunt, ipsa ejus divinitas præcipuè fuit petita) Amant quidem ita loqui nonnulli Veteres; Vigilus lib. II. contra Eutychem; *Divinitas clavis confixa est, sed non transfixa.* Augustinus Tom. 3. Quæst. de Trinit. pag. 1040. edit. Basil. *Divinitas participatione humani affectus sensit mortem, quam sponte suscepit.* Et in med. t. cap. 6. *Deitas quæ meam carnem induit, crucis patibulum adscendit, & in carne assumpta triste tulit supplicium.* Fulgentius ad Thrasimundum Regem lib. 3. de Trinit. *Divinitatem Christi sic passam fatemur in carne, ut eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne.* Verum enimverò ab ejusmodi loquendi formulis abstractivis v. g. *Deitas est passa, clavis confixa, mortua, de cruce deposita, sepulta, resuscitata &c.* abstinemus, quia illas Scriptura S. ignorat; Sancti Patres pleriq; contra Eutychianos disputantes reprobant, ipsaq; Formula Conc. pag. 766. & 807. repudiat & quia, speciem quoq; aliquam Eutychianismi phrasæ illæ præ se ferunt, siquidem Eutychiani etiam

tiam illis usi sunt. *Ab omni autem specie mali abstinendum, docente Apostolo 1. Thessal. V. 20. Audienda potius sanctissima priscae Ecclesiae vox: Qui passionem unigeniti Deitati ipsius adscribere, atq; divinitatem ipsius passibilem asserere audent, hos sacrosancta & Oecumenica Synodus Chalcedonensis de Concilio Sacerdotum repellit. Tom. 1. Concil. ed. Colon. pag. 884. Qui Deitatem Filii dicit passibilem, hunc condemnat Sancta Ecclesia, inquit $\mu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\lambda\eta\sigma\acute{\alpha}\lambda\pi\iota\zeta\ \text{I}\eta\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\eta\theta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ Athanasius Tom. 2. de incarnat. Verbi pag. 37. Si quis dicit, in passione crucis dolorem sustinuisse filium DEI divinitate, & non carne atq; animâ rationali, quam assumpsit in forma servi, anathema sit, inquit Damasus in professione fidei Catholicae ad Paulinum. lib. IX. Histor. Tripart. cap. 16. Sapienter Cyrillus Alexandrinus; Aliud est dicere, DEUM seu Filium DEI pati & mori in carne, & aliud simpliciter dicere, pati divinitatis naturam. Neque enim quae personae divinae tribuntur pariter & naturae congruunt. Nec non Johan Damascenus lib. III. de Orthod. fide cap. 3. Dominus gloria crucifixus dicitur, et si divina ipsius non patiente natura.*

§. 3. Deitatem itaq; $\tau\acute{\omicron}\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ neq; in se neq; in carne passam dicimus, sed Deum, Dei Filium, Christum, $\Theta\epsilon\acute{\omicron}\nu\theta\rho\omega\tau\omicron\nu$ in assumptâ suâ humanitate, & juxta seu secundum eam passum & mortuum esse cum Scripturâ & sanctis Patribus asserimus. Sic enim Petrus; *Christus pro nobis passus est $\sigma\alpha\rho\kappa\iota$ carne* 1. Epist. IV. 1. *mortificatus est $\sigma\alpha\rho\kappa\iota$ carne* 1. Epist. III. 18. *Et peccata nostra ipse pertulit $\epsilon\nu\ \tau\acute{\omega}\ \sigma\acute{\omega}\mu\alpha\tau\iota\ \alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$, in corpore suo super lignum* 1. Petr. II. 24. Adscribit his locis Petrus passionem toti personae & per particulam $\delta\iota\alpha\kappa\rho\iota\tau\iota\kappa\acute{\eta}\nu$ docet, cujus naturae proprietas sit pati, nempe humanae, adeoq; vox carnis in hoc Apostoli effato; *Christus pro nobis passus est carne, non est divulsiva, sed distinctiva, h. e. passionem non divellit & dirimit à personâ Christi, sed distingvit* 1. Subjectum passionis quod & quo, 2. Naturarum proprietates. *Et si enim Christus sit passus, non tamen (loquendo cum verbo DEI) in deitate suâ, sed humanitate est passus: cujus propria est naturaliter ista passio, & nequaquam ipsius Deitatis. Ut recte docet Dn. D. Feurbornius Fascicul. V. Dissert. Theol. disput. III. in hunc locum Petrinum th. 34. Athanasius Alexan:*

Alexandrinæ Ecclesiæ Angelus verba Petri piè expendens
Tom. I. Orat. 4. contra Arianos pag. 274. inquit; *Verbum as-*
sumptâ carne factum est homo, & in eâ carne passum est pro no-
bis. Et pag. 276. *Propterea non dixit Apostolus, Christus passus est*
deitate, sed carne pro nobis, ut non ipsius verbî proprias istiusmodi
passiones & naturales, sed carnis esse cognosceremus. Item Tom.
I. de Incarnat. Christi pag. 486. *Idem est, qui passus est, & non*
passus: divinâ quidem naturâ incommutabilis & inalterabilis, car-
ne tamen passus, ut dixit Petrus. En, inquit idem sermon. de
passion. & cruce Domini Tom. I. pag. 804. *quæ mors tibi Sal-*
vatoris efficit! Non enim opus est hominis, sed DEI. Principium
quod passionis est ipse Christus Deus & homo, principium quo
passus est humana ipsius natura. Et Tom. 2. adversus eos, qui
dicunt, passus est Deus, quia voluit pag. 258. ἐπαθεν, ait, ὁ
Χριστός κατὰ τὴν ἰαν θνητῶν σάρκα, & κατὰ τὸν ἀθάνατον λόγον.
Passus est Christus secundum mortalium carnem, non secundum
immortale Verbum. Et hæc passim inculcat & repetit Athana-
sius. Adscribam & alia ex sacrosanctæ antiquitatis gazophyla-
cio deprompta testimonia. B. Chemnitius lib. de duabus Chri-
sti naturis cap. 15. citat dictum Justini, ex expositione fidei:
Anima corpori compatitur, doloribus ejus afficitur, Passiones sen-
tit, & inde immutatur. Quod de Christi Deitate nemo rectè sen-
tientium, nisi prorsus mente captus sit, audebit vel dicere vel com-
probando recipere. Ambrosius Mediolanensium Episcopus de
Incarn. Dominic. sacr. cap. 6. *Secundum naturam se obtulit no-*
stram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium,
de suo præmium est. Cyrillus Tom. 2. homil. 8. pag. 74. *Pepe-*
rit S. Maria Emmanuelem, secundum divinitatem impassibilem,
secundum humanitatem passibilem. Idem in explicatione Matth.
13. ita scribit; *DEus passus est, non quod DEus verbum in suâ na-*
turâ clavorum transfixiones suscepit, sed quia in corpore, quod
ipsius proprium factum, hoc sustinuit. Concilium Ephesinum
contra Nestorium anathematismo 12. ita habet; *Si quis non*
confitetur DEI Verbum passum carne & crucifixum carne & mor-
tem carne gustasse, anathema sit. Leo M. Epistol. 10. ad Fla-
vianum: *Filius DEI, inquit, crucifixus est, non in divinitate sed in*

B

naturâ

*naturâ humanâ infirmitates est perpeffus. Vigilius lib. 2. con-
tra Eutyech. Tom. V. Bibl. SS. PP. col. 558. ait; Passio Christi
propriè ad carnem pertinet, secundum naturam; ad Verbum autem
secundum personam, quia & Verbi & Carnis una est eademq; per-
sona ac per hoc DEUS & passus est, & non est passus, passus secundû
unionem persona, impassibilis secundum proprietatem natura. Si-
quidem passionis injurias etiam divinitas pertulit, sed passionem
sola ejus caro persensit. Fulgentius lib. III. cap. 2. ad Thrafi-
mundum pag. 64. col. 2. Nos fidem, inquit, retinentes Evangeli-
ca veritatis, sic in Mediatore DEI & hominum, homine Chri-
sto Jesu, propria uniuscujusq; natura cognoscimus, ut unitatem
persona nullatenus dividamus, scientes, quod sic utriusq; in Christo
substantia manserit unita proprietate, ut in carne patiens impas-
bilis DEUS, & veram passionem (quia voluit) in vera carne sen-
tiret, & in divinitate prorsus impassibiliter permaneret, nec alius
in carne passus fuerit, nisi ille, qui in verâ carnis passione, impas-
bilis omninò permansit, nec alius semetipsum morti dignatus sit tra-
dere, quàm ille, qui sic potuit moriendo mortem vincere, ut mor-
tem non posset in morte sentire. Johan. Damascenus lib. IV. de
Orthod. Fide cap. 7. Passus est Christus in duabus naturis existens,
passibili naturâ; Crucifixus est enim carne, & carne in cruce pen-
debat, & non divinitate. Theophylactus super cap. 3. Joh. v. 16.
Quia unus & idem fuit per hypostasim & qui Verbum DEI & homo,
qui pro nobis patiens; Filius dicitur datus esse, in quantum & verè
passus non in suâ naturâ sed in suâ carne. Bernhardus in Parv.
Serm. serm. 14. col. 437. Passus est in carne impassibilis DEUS: & in
carne nostra mortali mortuus ac sepultus immortalis DEI filius & qui
agnus extitit in passione, leo factus est in resurrectione. Hæc ipsa
verò communio, quâ ὁ λόγος & assumptæ carnis passiones &
proprietates sibi ὀικειῶσαι & appropriat, ex arctissimâ unione
personali resultat, ut alibi fufius docetur.*

*S. 4. Opponenda hæc sunt I Basilidî, antiquo hæretico, qui
anno à Christo passo ferè centesimo & circa annum XV. impe-
rii Adriani vixit, & scribit Platina, & Simonem Cyrenensem,
ut in cruce portandâ, sic in sustinendâ crucifixione Christo
surrogavit, Vide Epiphani. hæresi 24. & Augustin. libro de hæ-
res. cap. 4. ubi ait Basiliani à Judæis non credunt Christum cruci-
fixum*

fixum sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit crucem e-
jus. Irenæus quoque lib. I. cap. 23. de Basilide refert, quod do-
cuerit; Jesum non esse passum, sed Simonem quendam Cyrenaum
angariatum portasse crucem ejus pro eo, & hunc secundum ignoran-
tiam & errorem crucifixum transfiguratum ab eo uti putaretur esse
JESUS, ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam & stantem ir-
risisse eos. II. *Mubamedanis*, qui Christum à Judæis interfectum
negant, sed alium pro eo passum delirant, videatur Alcorani
Azoara sive Caput XI. conferatur Dionys. Carthusianus lib. I.
contra Mahomet. c. 4. & l. 2. c. 22. III. *Nestorio*, qui totius dia-
bolicæ nequitiæ capax instrumentum, verèque totius Ecclesiæ
incendium fuit, ut scribit Socrates lib. 7. cap. 29. & officina
blasphemiarum, ut loquitur Evagrius lib. I. cap. 2. Discrimen au-
tem is inducere satagebat, inter propositiones; *Christus est pas-*
sus & mortuus, quam concessit, *DEUS est passus & mortuus*, quam
negavit. Cum tamen non alia sit, sed una eademque numero
persona, Christus & DEUS, nisi quod ibi ab utraque hinc solum à
divina naturâ denominetur. Uti ergo Eutyches Deitatem pas-
sioni subiciebat, sic Nestorius DEUM à passione excludebat,
hinc ejus impia vox; *Noli gloriari Judæe, quia non DEUM, sed*
hominem crucifixisti. Vide Evagrium lib. I. Histor. cap. I. IV.
Theopaschitis, qui passionem subjective & formaliter ipsi Dei-
tati simpliciter adscribebant. Anonymus est hic error apud
Augustinum & Isidorum sed ex Nicephoro lib. 15. cap. 28. ejus
defensores Θεοπασχισται i. e. Deipasianos appellant Docto-
res V. *Eutychianis*, qui itidem divinam naturam passibilem
constituebant, quæ in Christo passa, crucifixa & mortua fuerit.
VI. *Patripassianis*, sive Sabellianis, qui subjectum passionis & mor-
tis ipsum DEUM Patrem constituunt, Patrem, Filium & Spiritum S.
unam & eandem esse ὑπόστασιν contendentes. VII. ac imprimis
Calvinianis, qui per insignem σπερλαότητα seu tortuositatem cum
Nestorio hæsiarchâ, nomen DEI vel Filii DEI commutant in
nomen humanæ naturæ, impiè docentes; *solam humanitatem esse*
passam, solam humanitatem esse mortuam, ideoque in propositionibus Scri-
pturæ; DEUS vel Filius DEI est mortuus; Christus est passus, & si-
milibus, vel ἀλλοίωσιν locant, ita, ut vox DEI vel Filii DEI posi-
ta intelligatur pro humanâ Christi naturâ, vel Synecdochen

constituunt totius pro parte, ut scil. totus Christus, *Ἰεσὺς ὁ ὢν* & quidem subjecti loco ponatur, sed ita ut passio ad partem tantum ejus h. e. ad solam carnem restringatur & redigatur. Sic enim Zvvinglius Calvinistarum patriarcha Tom. 2. Oper. fol. 53. & 552. inquit; *Petrus perhibet, pro nobis Christum passum esse, cum sola humanitas passa sit.* Item; *Passionis acerbiter homo sensit, non DEus.* Beza in Colloq. Mompelg. pag. 176. *Hanc enunciationem, inquit, quā DEus dicitur passus, sic interpretamur, DEus i. e. caro DEitati unita est passa.* Et respons. I. ad acta jam dicti Coll. p. 19. asserit; *Prædicationes illas, quibus Dominus gloria crucifixus dicitur & ceteras ejus generis, si sensu proprio accipiantur, non reales, sed verbales tantum esse.* Concinnatores Consensus Orthodoxi pag. 18. & 122. *DEus passus & mortuus est, realiter, quatenus homo est, sed nominatenus, quatenus DEus.* Quæ etiam sua facit Neostadiensis admonitio pag. 250. Piscator in Respons. ad Elenchos Buscheri pag. 574. volum. 2. thes. Theol. *Quum dicitur DEus est passus, inquit, intelligitur Christus est passus; hic est Synecdoche membri, quatenus Christus nominatur DEus ab altero persona sua membro, videlicet DEitate.* Deinde, *Christus est passus, intelligitur caro Christi est passa.* Hic est synecdoche integri: quia integra persona nominatur, & sola alterius illius pars videlicet caro, seu humana natura assumpta intelligitur. Synecdochen istam etiam amplectitur & stabilire satagit Martinus, vide ipsum in Incisione nervorum pag. 15. & in Spicileg. p. 184. ubi inquit; *Humana natura tantum mortua est.* Danæus in exam. contra Chemnitium pag. 24. *Christus homo est mortuus pro nobis i. e. natura tantum illa Christi humana mortua est & pag. 321. Passio Christi non nisi Dialecticā prædicatione DEO tribuitur absq; ullā reali communicatione.* Anhaltini contra librum Concordiæ, *Sola humanitas in Christo est passa,* confer Herbornenses in rudim. l. 2. p. 100.

§. 5. Ast enim verò hæc sententia, quā scilicet Sola Christi natura humana passa & mortua statuitur, I. exitiale illud, ipsius *Diaboli excrementum, Nestorianismum,* inquam ex Orco revocat. Quemadmodum enim Nestorius dixit; *Noli gloriari Judæe, quia non Deum, sed hominem crucifixisti:* Ita vi istius Zvvinglianæ *ἐπιθεωρήσεως* & Piscatorianæ ac Martinianæ *συνεκδοχῆς* necesse habent

habent dicere Calviniani; *Noli gloriari Judæe, quia non Deum, non totum i. e. ipsam Christi personam, sed tantum ejus partem, nempe carnem crucifixisti.* Si in hisce propositionibus nomen personæ exponitur per abstractum naturæ, tollitur personalis unio, sequitur Nestoriana divulsio, negatur omnis vera & realis κοινωνία &c inquit B. Gerhard. Exeges. Loc. IV. n. 187. II. *Scriptura est contraria.* Hæc enim disertè asserit; Ipsum JEHOVAM servire & laborare factum esse in peccatis nostris Es. XLIII. 24. Si ipse Jehova servire & laborare factus est, &c. E. non sola caro ipsi unita. Nam sola, seu solitariè sumpta caro non est JEHOVA. Si ipse vitæ princeps à Judæis est interfectus, ut dicitur Actor III. 15. Et ipse Dominus gloriæ crucifixus, ut dicitur I. Cor. II. 8. E. sola caro à Filio Dei assumpta non est interfecta, crucifixa. Sola enim caro non est princeps vitæ, Dominus gloriæ. Christum Θεάνθρωπον ἑαυτὸν seipsum pro nobis redimendis & pro peccatis nostris expiandis tradidisse clarissimè affirmatur Gal. I. 4. Ephes. V. 2. 25. I. Timoth. II. 6. Tit. II. 14. Heb. IX. 14. Sanè si per Zvvinglii ἀλλοίωσιν, (quam meritò *Diaboli larvam* appellat Lutherus Tom. III. Jenens. Germ. fol. 455.) & Synecdochen Piscatoris & Martinii passio & mors ab ipso τῷ λόγῳ esset divellenda & soli ipsius naturæ humanæ tribuenda, non posset dici Christum seipsum pro nobis tradidisse. Actor. XX. 28. perspicuè traditur, *Deum proprio* (proprietate personali) *sanguine acquisivisse Ecclesiam.* αἱματεκχυσία est ἰδίωμα seu proprietas humanæ naturæ, hæc ipsa tamen prædicatur de Deo ὑποστατικῶς sumpto, h. e. de secunda Trinitatis persona, verè, sine tropo, sine ἀλλοίωσιν, sine συνεκδοχῇ. Vide Dn. D. Dorchæum in Pentadec. disput. V. ad hunc locum. III. *Virtutem & efficaciam meriti Christi evacuat, ipsiq; præcipuum pondus atq; momentum adimit, ac proinde omnis consolationis fundamentum labefactat.* Nam si passio Christi non est ipsius infinitæ personæ, τῷ λόγῳ, sed solius carnis assumptæ passio, non erit nostrum redemptrix aut salvatrix; passio enim & mors solius naturæ humanæ non potest nos à peccatis, irâ Dei, maledictione legis & æternâ damnatione liberare, aut æquivalens pretium pro genere humano redimendo persolvere, Passio solius carnis

quantumvis justissimæ pro se non satisfacit, pro aliis minus, pro toto mundo minimè. Quod Franc. Junii effatum est defens. i Catholicæ doctrinæ de Trinitate contra Samosat. sect. 29. Optimè B. Lutherus in majore suâ de Cœnâ Domini Confessione Tom. II. Witteb. fol. 188. *Si persuaderi mihi patiar, ut credam, solam humanam naturam pro me passam esse, profectò Christus mihi non magni pretii Salvator erit, sed ipse tandem Salvatore eget.* Idem Tom. VII. Jen. Germ. pag. 264. in libello, quem de Conciliis & Ecclesiâ scripsit; *Si in unâ lance, inquit, appendantur peccata nostra & ira Dei peccatis debita, ac in alterâ lance ponatur tantum humana natura mors, aut homo tantum pro nobis passus, tunc altera lanx deprimit nos ad infernum usq³. Quod si verò in adversâ lance ponatur DEI mors, DEI passio, DEI sanguis, seu Deus pro nobis mortuus ac passus, tunc gravior & ponderosior fiet lanx ista, quàm omnia peccata nostra & universa ira Dei.* Cardo nostræ salutis vertitur in DEI MORTUI agnitione; valeant igitur, imò pereant, qui hanc sacram fidem, DEUS est MORTUUS, turpi cavillamento fœdant, *humana natura tantum est mortua.* Rectè B. Menzerus in Anti-Martiniuo suo pag. 26. *Quam verò DEUS est homo, tam verè Deus est passus; si sentit Martinus, solam carnem esse passam, non ipsam personam Filii DEI, primum apertissimè Nestorianismum profitetur, deinde omnia beneficia passionis & mortis Christi, quantum in ipso est tollit.* IV. *Passiones soli nature tribuit, quæ personæ competunt, juxta canonem Philosophicum: Actiones & passiones sunt Personarum & Suppositorum.* Sicuti enim actiones, non sunt naturarum, sed suppositi seu personæ, ita atiam passiones non alterutri nature sed supposito seu personæ sunt tribuendæ. Graviter Lutherus in supra citatâ majore confessione de Cœna Domini; *Omnia opera omnesq³ passiones, non naturis sed personæ tribuuntur. Personæ enim ipsa est, quæ omnia illa agit & patitur: hoc quidem secundum hanc naturam: illud verò secundum alteram naturam: quæ sanè omnia viris eruditis sunt notissima.* Persona itaq³, sive compositæ substantiæ insunt omnes actiones & passiones, sed propter naturas, è quibus est composita, ut rectè ex Aristotele docent Scholastici Doctores & ipse Martinus in spicileg. pag. 90.

Actiones

*Actiones (& quarum eadem est ratio, passiones) sunt supposito-
rum & totorum, non autem propriè loquendo, partium & forma-
rum seu potentiarum. Non enim propriè dicitur, quod manus per-
cutiat, sed homo per manum, neq; propriè dicitur quod calor cale-
faciat, sed ignis per calorem, inquit Thomas de Aquino, Doctor
Angelicus, Scholasticorum princeps, 2.2. quæst. 58. art. 2. con-
fer Aristot. lib. I. de anima cap. 3. V. Deniq; introducit ineptam
verborum Scripturæ ἀνάλυσιν. Juxta Synecdochen enim Cal-
vinianam resolvenda sunt e. g. verba Petri I. Epist. IV. 1. *Chri-
stus pro nobis passus est carne*, hoc modo; *Christus* i. e. Caro Chri-
sti, *pro nobis passus est* i. e. passa est carne, seu humana natura
passa est carne. Ineptias has ipse agnoscit *Johannes Ber-
gius*, ideoq; fatetur in *Analyti controversiæ de persona
CHRISTI* thes. 95. non esse justam analysin suorum; fatetur minus rectè hanc propositionem; *Filius Dei secundum
humanam naturam est passus, per abstractivam hanc explicari, Hu-
mana natura λόγῳ unita est passa*, non tamen propterea phra-
sin illam ut *Nestorianam damnandam esse* judicat. Sed à Nesto-
rianismo absolvi non posse suprà ostendimus, & solidè demon-
strat Dn. D. Calovius Theolog. Apostol. Romanæ Oracul. LXV. pag. 346. seqq. conf. Gerhards Exegefin Loc. IV. de person. Christi n. 195. B. Menzeri Anti-Martinium pag. 24. 26. 167. 168. 273. &c. Dn. D. Wellerum in secundam Anatomiam Massonii partem disp. XV. & XVI. Feurbornii Fascicul. II. Dissert. Theol. disput. I. quæst. I. & Fascicul. V. disert. III. Th 29. seqq.*

§. 6. Regerunt quidem Calvinistarum nonnulli, axio-
matis hujus; *Sola humana natura Christi est passa*, sensum hunc
esse; *Non Deitas est passa, sed sola humanitas*: ita ut particula ille
exclusiva non opponatur personæ, sed Deitati. Verùm Ex-
clusivam solum, tantum, non naturæ opponunt Calviniani, sicut
contendit Steinius in *Vindicat Conc. Irenic.* sed ut plurimum
ipsi personæ. Sic enim *Herbornenses* lib. 2. Rudim. pag. 100,
expressè scribunt; *Humana natura Christi tantum inortua est,
non DEITAS, non (N. B.) tota persona.* Et *Martinius* in *Spicileg.*
p. 164. *Affligi, mori, crucifigi tantum est natura humana, λόγῳ tan-
tum est esse æqualem DEO.* Nota oppositionem Naturæ hu-
manæ & personæ ἢ λόγῳ. Imò salvâ sua hypothesi aliter sta-
tuere

tuere nequeunt, est enim hoc eorum axioma, quod strenuè de-
 fendunt: *Eadem numero propria non possunt alteri subiecto ta-
 met si unito, realiter communicari.* Jam verò passio & mors pro-
 pria carnis sunt, Ergò DEO, DEI Filio, vel personæ Ἰσ̄ λόγος verè
 communicari & tribui per unionem hypostaticam non pos-
 sunt. Negant ἕνωσιν ἀσέως communicationem; negant rea-
 lem naturarum & Idiomatum κοινωσίαν, ex unione personali e-
 manantem, quomodo igitur credere possunt Filii DEI passio-
 nem? Rectè proinde à Sociennis suis in hac quæstione discedit
 Conradus Vorstius quando in resp. ad 2. part. discept. Sladi p. 16.
 sic scribit. *Totum & integrum Θεὸν Ἰσ̄ πρῶτον verè passum & mortuū
 esse, sacris literis consentienter scripsisse me credo.* Collat. cum
 Piscat. p. 126. *Cum passim ipsum unigenitum ac proprium Dei Fili-
 um, hominem jam factum, eoque totum Θεὸν Ἰσ̄ πρῶτον pro nobis pas-
 sum & mortuum esse legamus. Hanc tu sententiam (ut quidem ap-
 paret,) si negas, aut dimidium illum, aut nullo modo passum ac mor-
 tuum esse stutuas necesse est. Hoc certè impium est & Sacris Literis
 apertè contrarium. Illud manifestè Nestorianum, quippe quod
 Christi personam dividit & in duas quodammodo discerpit. Atq;
 ut actiones, sic & passiones tantum suppositorum sunt, eoque utut se-
 cundum alteram tantum Naturam Filius Dei passus sit, rectè tamen
 totus respectu personæ passus esse dicitur. Hæc omnia Vorstius.
 Eadem rectius expendens Keckermannus lib. 1. Logic. part. 1.
 cap. 20. pag. 180. scribit; *Subiectum passionis quod est totus Chri-
 stus, subiectum autem quo, sanctæ ejus caro secundum illud Apostoli;
 Deus passus est in carne.* Immotum igitur hoc stat fundamen-
 tum; Christum, Θεὸν Ἰσ̄ πρῶτον esse passum & mortuum, non se-
 cundum diuinitatem sed humanitatem.*

QUÆSTIO II.

Quomodo est passus.

§. 1. Passus est Dominus JESUS. I. ἀληθῶς, verè. Claris-
 simè id comprobat Esaianum Evangelium Esa. LIII. 4. Ἰσ̄
 Sym. οὐδὲν (quod opponitur Ἰσ̄ φανομένως) *Verè langviores no-
 stros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit.* Perperam hic
 Musculus, Munsterus, Junius, Tremellius & alii hebraeam vo-

cem יִצְחָק reddunt per *veruntamen, tamen, sed &c.* ut sit tantum
 adversativa particula. Nam observat R. Mardochai Nathan
 in Concordantiis Hebræis, quod יִצְחָק significatio semper no-
 tet veritatem & stabilitatem ipsius rei. Confer Gen. XXVIII. 17.
 Exod. II. 14. I. Sam. XV. 32. I. Reg. II. 2. Job. XXXII. 8. Psalm.
 LXXXII. 7. Esa. XLV. 15. & XLIX. 4. Hinc quoq; vers. præce-
 dente 3. Esa. LIII. appellatur Messias מְכַנְּבֵן שִׁינִי *vir dolo-
 rum LXX. ἀνδρωπὸς ἐν πληγῇ homo in plagâ i. e. vir dolori-
 bus, plagis confectus, homo afflictissimus, unde quoq; crucia-
 tibus plenus. Ipse inquit Matth XXVI. 37. Marc. XIV. 34. Ani-
 ma mea περιλυπῶ, undiq; mærore obsessa & circumvallata est
 usq; ad mortem. καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ. Et correptus angore,
 sive laborans in gravissimâ luctâ & certamine, prolixius orabat &
 sanguinem sudabat, Luc. XXII. 44. ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ αἰδη-
 μονεῖν cepit animo & corpore perhorrescere, & gravissimè angē
 Marc. XIV. 33. Sanè hæc dolorum abundantia, περιλυπία,
 ἀγωνία, ἐκθάμβησις, αἰδημονία & sudor sanguineus per summum
 angorem expressus clarè demonstrant, non simulatè, nec se-
 cundum apparentiam aut κατὰ δόκησιν, ῥηματικῶς, vel σχετι-
 κῶς tantum, sed ὄντως & in rei veritate Christum θεῖον ἀνδρωπὸν
 quâ corpus, quâ animam passum esse, id quod requirebat etiam
 veritas nostræ redemptionis. Si enim Christus non verè pas-
 sus est, nos nondum verè redempti sumus.*

§. 2. Opponenda hæc sunt I. *Simoni Mago*, non tantum pri-
 mo inter Christianos hæretico, sed & hæreseων omnium fon-
 ti & parenti, ut Irenæus lib. I. cap. 30. & Augustinus lib. II. con-
 tra advers. Leg. & Prophetar. cap. 12. de eo tradunt; Primoge-
 nito Satanæ, ut eum vocat Ignatius Epistola ad Trallianos. *Is*
enim, & omnes ex hoc malo ovo prognati, asserebant Christum nec
verè passum, nec verè resurrexisse, ut indicant Augustinus libro
 de hæresibus ad Quod vult DEum cap. 1. & Epiphanius hæres.
 21. II. *Saturninianis* qui Christum phantasmate non reipsâ &
 apparuisse & passum esse in cruce dicebant docente Epipha-
 nio & Theodoretō. III. *Marco*, qui ex Valentinianæ viperæ
 alvo procreatus ipsius Valentini, pessimi impostoris, improbi-
 tatem, impietatemq; superavit, vide Lamb. Danæum in jam di-

C

ctum

Etum Aug. lib. de hæres. cap. XIII. Dæmonemq; παράθεον, familiarē habuit teste Irenæo & μαρτυροῖς, ut dicuntur Epiphano, sive Marcitis hæreticis, ut appellantur à Latinis, nomen & ortum dedit. Hic itidem Christum non verè sed putativè passum esse contendebat, ut refert Augustinus loc. alleg. III. Cerdoni & Cerdonianis, qui uti Christum venisse non in substantiâ carnis sed in phantasmate, delirabant, ita eundem non nisi simulatè, imaginariè & κατά φαντασίαν passum, crucifixū & mortuum esse asseriebant. Cerdoniani à Cerdone nominati dogmatizant (inquit Augustinus loc. cit. cap. 21.) Christum negatum ex fœminâ, neg, habuisse carnem, sed nec verè mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Tertullianus lib. de præscript. advers. hæretic. c. 51. de Cerdone hæresiarcha refert, quod dixerit; Christum non esse natum vel passum, sed quasi natum ac passum. V. Marcioni Pontico, Cerdonis discipulo, qui serpens & lupus Ecclesiæ & primogenitus Diaboli appellatus est etiam à Polycarpo, ipso Johannis Evang. discipulo, referente Irenæo lib. III. cap. 3. Eusebio lib. V. cap. 13. à quo & Marcionitæ dicti sunt. Hic totam illam de Christi passione & morte historiam tragicam tantum fabulam fuisse contendebat, per quam prestigiis quibusdam Christus illuserit spectatorum, imò verò discipulorum suorum oculis, docente Lamb. Danæo ad cap. XXII. Augustin. de hæresib. VI. Apellitis, quorum Apelles Marcionis auditor, princeps fuit; Hi statuebant, Christum phantasmate tantum quodam hominem visum esse, non quod reverà homo esset, vel passus vel crucifixus vel resurgens. Hinc Docetæ hæretici. Ita Danæus ad cap. XXIII. Aug. de hæres. VII. Manichæis, pestilentissimis hæreticis, utpote quorum hæresis maximus & præcipuus Mahumetismi, qui postea sequutus est, fons & origo meritò censenda est, sive dogmatum vesaniam, sive modum nascendi & rationem spectes. Vide sæpius citatum Danæum ad cap. XLVI. Aug. de hæres. Hi pari insaniâ affirmabant, Christum non fuisse in carne verâ, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur, ut tradit August. loc. alleg. VIII. Hilario, Pictavorum in Galliâ Episcopo, qui hæreseos hujus semina vel propa-
gines

gines in scriptis suis retinuit docens lib. X. de Trinit. *nullum verum sensum doloris in Christo fuisse.* Etiam in acerbissimis illis, quas Scriptura commemorat, lacerationibus, sic enim inquit; *Sicut telum transit per aquam vel ignem, & facit quidem distractionem, sed tamen sine sensu vulneris; Ita Christus non sensit illam, quæ in passione facta est, corporis lacerationem.* Confer ipsius Comment. in Psalm. 69. Sed Guilielmum Parisiensem vidisse librum Hilarii, in quo illam sententiam *ὡς ἐὶ ἀπαθείας* in Christo retractarit, scribit Bonaventura lib. 3. sent. dist. 16. q. 1. art. 1. resp. ad 1. Fusè quoq; Hilarium excusat Becanus part. 3. Theol. Scholast. cap. 12. quæst. 6. §. 3. & 4. IX. *ἀφ' ἁρτοδοκῆταις*, qui æquivocatione vocabuli *φθογᾶς* ludebant, & Christi carnem non tantum incorruptibilem, sed & passionum penitus expertem dicebant. Huic *incorruptibilem*, sive ut alias nominabantur, *Phantasiarum* hæresi adhærens Justinianus Imper. eandem edicto conscripto, (in quo corpus Christi etiam ante passionem vocatur *ἀνεπίδεκτον φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν* hoc est, *non susceptivum naturalium & inculpabilium passionum & infirmitatum*,) Ecclesiæ Catholicæ credendam proponere decrevit. Vide Annales Eccles. Spondaniæ ad annum Ch. 563. num. 1. & II. Evagrium lib. 4. Histor. Eccles. cap. penult. Nicephor. lib. 17. cap. 29. & Damascenum de hæresib. p. 584. Audiat hic heterodoxè sentientium chorus antiquissimū Ecclesiæ Novi fœderis Doctorem, Irenæum, eos, qui Christum *θεῶν ἰσῶπων* uon reverà sed tantum *δοκῆσαι* & secundum opinionem hominum natum & passum esse statuunt, refutantem. Sic enim lib. 3. cap. 20. pag. 337. inquit; *Qui dicunt eum putativè manifestatum, neq; incarnatum, neq; verè hominem factum, (neq; verè passum, ut dixerat pag. 336.) adhuc sub veteri sunt damnatione, ad vocationem præbentes peccato, non devictà secundum eos morte, quæ regnavit ab Adam usq; ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem transgressionis Adæ.* Confer B. Chemnitium libr. de duabus naturis in Christo cap. III. & Feurborn. Fascicul. V. Dissert. Theolog. disput. III. thes. 24. seqq.

§. 3. II. Passus est Dominus JESUS εἰδότης, *scienter*. Johan. XIII 1. *Sciens Jesus, quod venisset hora ipsius, ut transfret ex hoc mundo ad Patrem.* Per τὴν ὥραν intelligit tempus Passionis & mortis. Emphaticè autem vocatur *Christi hora* cum hoc loco, tum Joh. VII. 30. & cap. VIII. 20. non solum, ratione *objecti*, quod Christo hoc tempus ad patiendum & moriendum fuerit præfinitum, sed etiam ratione *causæ efficientis*, quia Christus juxta divinam suam naturam unà cum Patre & Spiritu S. hanc horam sive hoc tempus passioni & morti suæ ab æterno constituerat, ut observat B. Gerhard. in Harmon. Evangel. cap. CLXX. pag. 1021. Adeoq; non tunc demum scivit horam passionis suæ adesse, sed juxta divinitatem suam jam inde ab ultimâ æternitate definitum illud tempus prævidit. Johan. XII. 4. *Jesus itaq; εἰδὼς πάντα τὰ ἐπερχόμενα ἐπ' αὐτὸν, sciens omnia ventura super se, exiens dixit eis, quem queritis?* Probè itaq; perspectas atq; cognitâs habebat Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi Col. II. 3. hostiū insultationes. Præclarè noverat sanguinarium Pontificum & Phariseorum decretum contra se editum. Non latebat ipsum proditiōnis pactum à perfido discipulo cum primoribus occultissimè initum. Verbo; in splendidissimâ omniscientiæ suæ infinitæ luce, (quam juxta divinam naturam ab æterno habebat & quæ juxta humanitatem ipsi in tempore, unionis hypostaticæ beneficio communicata erat, quamq; in diebus carnis suæ exerebat, ubi & quando volebat,) omnia coràm intuebatur, quæ super se erant ventura, nempe acerbissimos cruciatus, vincula, flagella, illusiones, vulnera, atq; ad eò ignominiosissimum mortis supplicium.

§. 4. III. Passus & mortuus est Dominus Jesus ἐκβοήτως, *voluntariè, sponte*, non Judæ astutiâ circumventus, vel hostium vi superatus. Psal. XL. 10. & II. Hebr. X. 7. 9. *Tunc dixi, ecce venio, inquit, salutis nostræ cupidissimus, & sponte meâ me offero, ut faciam, Deus, voluntatem tuam,* Tibi per omnia accuratissimè obediendo, usq; ad mortem, mortem autem crucis, Philipp. II. 8. *Nunc vado,* ait Johan. XVI. 5. videl. ex sanctâ ergà Patrem obedientiâ, à nemine coactus vel protractus per tristem passionis

ac

ac acerbissimæ mortis viam *adeum, qui misit me*. Vadere volentis est, trahi verò inviti. Cùm nondum adesset passioni & morti divinitus constitutum tempus ex Judæa in Galilæam, ex monte Oliveti in montem Thabor, ex Bethaniâ in oppidum Ephrem secedebat, jam verò cum sciret adesse *horam passionis* Joh. XIII. 1. aeterno DEI consilio sibi definitam, non latebras quærit & secessus, sed intrepidè & alacriter in occursum hostium procedit & illorum manibus, imò ipsi morti sponte sese offert, Joh. XIX. 4. reipsâ ostendens, passionem sibi nec incio nec invito obtingere. Elucet etiam Christi ad mortem pro vitâ humani generis obeundam *ωεγ* *σωψία* & promptitudo ex eo, quando ipse ad calicem passionis anhelans dicit Luc. XXII. 15. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. q. d. O quoties & quàm ardenti desiderio expetivi hoc tempus maturari! Ecce jam præsto est, iam celebratum est ultimum Pascha, imò novissimum convivium, quod vobiscum in terris acturus sum.* Non est mihi ignotum, mox ab hac paschali cæna, ubi prius Sacramentum Eucharisticum instituerò & valedictorio sermone vox erexero, imminere mihi passionem gravissimam & mortem acerbissimam, sed tantum abest ut eam subterfugiam, ut ob hoc ipsum ardentissimo desiderio hanc ultimam cœnam paschalem hactenus expetiverim, ut verba Salvatoris *ωεγ* *σωψία* B. Gerhardus Harmon. Evangel. cap. CLXIX. pag. 1009. b. Voluntariè ergò Christus mortuus est, ut mortis Dominus, non coactè aut ex necessitate, ut mortis servus. *Fecit ipsum mori benignitas propria, non malignitas aliena.* Hinc quoq; passio & mors ejus fuit *gratum D&O sacrificium in odorem suavitatis* ipsi oblatum Eph. V. 2. Benè Chrysostomus Serm. V. in Quintâ Feriâ pass. Tom. 3. col. 812. Edit. Basil. 1558. *Qui futura predicere, potuit & cavere; Ignaros adversa præveniunt, non scientes. Pati voluit, qui sponte locum, ubi pateretur, ascendit. Mors invitis imperat, volentibus servit. Ergò quod volens moritur, non casus est, sed potestas.* Cyrillus lib. IX. in Johann. cap. 2. *Non parvo fuit studio Evangelistis omnibus sæpius ostendere, passionis tempus à Domino fuisse præcognitum, ne quis hæreticorum insurgat, dicens, infirmitate suâ traditum & Judæorum laqueis irretitum, crucis patibulum*

non sponte sustinuisse. Hieronymus in cap. 26. Matth. Erubescant, qui putant Salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Post biduum pascha facturus, tradendum se, ut crucifigatur, novit & tamen non declinat insidias, nec territus fugit, in tantum, ut etiam ceteris ire nolentibus pergat intrepidus &c. Theophylactus in Luc. 22. v. 15. supra citatum; Significat, inquit, per hæc quod voluntariè patiatur. Poterat enim omninò secedere, sicut & aliis temporibus, cum sciret se passurum. Augustinus in Enarra. Psal. 34. Conc. 2. Tom. 8 col. 256. Dominus voluntate passus est, nos necessitate. Ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio. Voluntaria itaq; fuit passio & mors ista ex parte Christi, qui eam pertulit, violenta verò ex parte illorum, qui eam Salvatori intulerunt. Fuerunt enim λαβόντες ἅς χερῶν ἀνόμων περιεπήξαντες, ἀναρῶντες τὸν Ἰησοῦν Ἄctor. II. 23. confer. cap. X. 39.

§. 5. IV. Christus non casu aut fortuitò incidit in hanc dirissimam passionem & tam fœdam mortem, sed divinâ dispositione, directione & consilio passus est & mortuus. Hinc Luc. XXII. 22. dicit se vadere in mortem κατὰ τὸ ὀρισμένον, secundum quod est definitum scil. à Deo. Et Petrus inquit Ἄctor. II. 23. JESUM ὀρισμένη βεβλήν definito consilio & præscientiâ Dei traditum esse. Nempe in æterno Dei consilio definitum est, non ut Judas Christum traderet, & ut Judæi eum occiderent, ut volunt Calviniani, sed ut per Messiaë passionem & mortem genus humanum à peccatis & morte æternâ redimeretur. Interim prævidebat Deus, pessimum Judæ institutum & impias Judæorum voluntates ita esse dispositas, ut si Christus illis objiceretur, in eum invaderent, & crucifigerent, ut inquit h. l. Menochius. Hinc Petrus consilium & præscientiam Dei in traditione Christi conjungit, ut sciamus, præscientiam Dei complectentem permissionem ad nefarium Judæ & Judæorum factum, consilium verò ad salutarem usum ex passione Christi ad nos redundantem spectare. Traditionem enim Christi activam à Juda proditore peractam, Deus præscivit, non verò voluit, vel decrevit, aut approbavit, Traditionem verò Christi passivam h. e. sponta-

spontaneam illam Christi obedientiam quâ se à Judâ in mortem tradi sustinuit, Deus decrevit & salutari consilio ad generis humani redemptionem eâ usus est, ut quæstione IV. pluribus dicetur.

§. 6. V. Deniq; passus est Dominus JESUS ἀθώως innocenter: Peccavi, inquit post factum poenitentiam ductus pessimo proditor, tradens sanguinem ἀθῶον insontem, innoxium, Matth. XXVII. 4. Etiam alii de hac Christi innocentiam in historia passionis testantur, utpote Pontifices, qui falsos testes conquirunt, Matth. XXVI. 59. 60. Marc. XIV. 55. 56. Uxor Pilati, Matth. XXVII. 19. Pilatus ipse vers. 24. & Luc. XXIII. 4. Johan. XVIII. 38. ubi ad summos sacerdotes atq; universam turbam dicit, ego nullam causam & nihil noxæ invenio in hoc homine. Herodes, ut colligitur ex Luc. XXIII. 15. Centurio & alii Matth. XXVII. 54. Luc. XXIII. 47. alter Latro Luc. XXIII. 41. imò ipsæ creaturæ irrationales, ut Sol qui caput obscurâ nitidum ferrugine textit Luc. XXIII. 45. Petræ, quæ icisæ sunt Matth. XXVII. 51. & c. Ipsum re & verbo, culpâ vacasse Esaias testatur cap. LIII. 9. inquiring; iniquitatem non fecit, neq; dolus fuit in ore ejus. Et Petrus inquit, Justum pro injustis passum esse, 1. Epist. III. 18. Talis nobis decebat Pontifex. ὁσος, ἀκακος, ἀμίαντος, κενωρισμὲν ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν. i. e. sanctus, peccati & malitiæ expers, impollutus, & qui à peccatorum vitâ & moribus longissimè distet. Hebr. VII. 26. confer 2. Cor. V. 21. 1. Petr. II. 22. 1. Joh. III. 5. Digne, ait Augustinus, delevit aliena peccata, qui non habuit propria.

QUÆSTIO III.

Quid est passus.

§. 1. Omnia Christus perpassus est, respondet Cyrillus lib. X. Operis insignis, quod Thesaurus inscribitur, cap. 3. ut ab omnibus nos liberaret. Breviter, sed verè! Non enim unum aliquod supplicii genus passus est humani generis sospitator, sed poenam quandam communem & generalem, omnia genera dolorum, cruciatuum, suppliciorum ac tormentorum amplissimo

fimo suo sinu comprehendentem. Sed ut ordine procedamus, distinctionem passionum Christi à *Subiecto quo* desumemus. Juxta hanc duplex passio statuitur, alia *interna* & ad animam pertinens, alia *externa*, & corpus afficiens. Animam autem & corpore Christus pati voluit, ut nos à pœnis, quas animam & corpore æternum luituri eramus, immunes præstaret. *Non solius corporis tormentis, sed animi etiã angoribus deleri generis nostri culpas voluit.* animo igitur & corpore est cruciatus inquit Bosquierius in Codro Evang. not. Conc. XI. de Passione Domin. p. 213. Quas, Deum immortalem! sanctissima anima ejus angustias sustinuit? Has, cum magis idoneo non posset, *למַעַב* vocabulo expressit magnus Propheta Esaias LIII. 10. *למַעַב* propter laborem anime sue, Vulgata, pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur. *למַעַב* est laboravit, animo & corpore, defatigatus fuit, malè habuit, doluit, Psal. CXXVII. 2. *Nisi Jehova edificet domum, frustra laborant edificatores de eã.* Hinc nomen *למַעַב* quod notat laborem seu dolorem molestum ac defatigationem tam animi quam corporis, & propriè *anxium illum laborem, qui homini ob transgressionem in horto Eden est impositus*, cognationem enim habet cum *למַעַב* prævaricatus est, ut eruditè observat celeberrimus Theologus Dn. D. Wellerus Comm. in h. l. pag. 103. Vocis *למַעַב* hæc vis est inquit Tarnovius in Explicat. h. l. subjuncta Comment. in Psalmos Passional. *ut non tantum laborem designet graviolem ac molestiorem, sed illum, qui cum summã defatigatione & tadio subitur, ut sepe in Ecclesiaste, ubi vita humana miseria & calamitas vel isto solo vocabulo explicatur hinc inde.* Præfixum verò *ו* h. l. respectu Christi non causam meritoriam, sed consequentiam notat, siquidem illis afflictionibus Christus nihil sibi, sed omne nobis promeruit, ut alibi docetur. Luc. XII. 50. *Baptismo habeo baptizari, inquit Salvator, & quomodo συνέχομαι, coarctor, donec perficiatur.* *συνέχομαι* est premi, constringi, coarctari. Vatablus, *quomodo coarctor, vel quàm angustè contineor.* Solent enim contrahi & quasi comprimi corda anxiorum. Utitur verbo *συνέχομαι*, inquit B. Chemnitius Harm. Evangel. cap. CX. in h. l.

pag. 1201. a. quo etiam Paulus utitur Philip. I. v. 23. & sumpta est
metaphora ab angustiis locorum, ubi vel ab hoste intercepti vel alio-
qui clausi & veluti constricti sumus, ut exitum invenire nequeamus.
Daniel Heinsius in exercitationib. Sac. in h. l. ait; *Optimum*
Henrici Stephani Glossarium, συνέχομαι opprimor, cum ἡ ἀθέ-
veia notetur, quæ propinquâ morte, ex ejus metu, καὶ ὀικονομίαν
Dominum circumstetit ac pressit. Erit igitur καὶ πῶς συνέχομαι,
& quomodo, aut, quantum opere premo, donec perfecero, quod instat!
quantum opere angor! Hæc ille.

§. 2. Cœpit autem hic gravis labor atque συνοχὴ καρδίας
sive anxietas animæ & interna Christi passio in primis in horto,
in quem ex cœnaculo Hierosolymitano cum discipulis egres-
sus erat. Ibi enim incepit admiranda illa & acerrima ἀγωνία.
Luc. XXII. 44. i. e. *lucta, certamen, itemq; mœror, anxietas &*
horror, quo corripiti solent homines, gravi urgente certamine & peri-
culo. Ibi cœpit benignissimus Jesus λυπεῖσθαι, contristari, do-
lore, aegritudine & molestiâ affici. Matth. XXII. 36. ἐκθαμβεῖσθαι,
animo & corpore perhorrescere, attonito stupore percelli, sive con-
cuti, & penitissimo horrore animi perfundi, Marc. XIV. 33. ἀδη-
μονεῖν, præ mœrore animi concidere, ex horrore collabi animo &
vehementer angere, ibid. Vide B. Gerhardum Harmon. Evangel.
cap. CLXXXII, p. 1743. seqq. Dn. D. Dorscheum Theol. Zachar.
parte I. cap. IX. §. 271. seqq. emphasin horum vocabulorum e-
nodantes. De hoc suo angore Christus ipse testatur ad disci-
pulos dicens Matth. xxvi. 37. Marc. xiv. 34. περίλυπος & cir-
cumquaq; tristis, supra modum mœsta est anima mea usq; ad mortē.
περίλυπος est tristitia dolorosa animi, maxima & summa, quæ cir-
cum circa animum occupat & angit. περίλυπος est summo opere
dolens, supra modum mœstus, inquit Dn. D. Dorscheus loc. alleg.
cap. VII. §. 174. Disputant Scholastici & Pontificii curiosè
magis quàm utiliter, an secundum appetitum tantum sensi-
tivum, sive rationem inferiorem, ut loquuntur, an verò simul
secundum appetitum rationalem seu rationem superiorem tristitiam
Christus senserit? Thomas Aquinas parte III. quæst. XLVI.
art. 7. Bellarminus & in l. de animâ Christi cap. 8. & l. 2. de
Verb. VII. Dominic. c. 1. p. 123. Franc. Fevardentius dialog. 1.

D

aliq;

aliiq; existimant, in inferiore tantum anime parte tristitiam illam
fuisse, sed superiorum anime partem maxima latitia luce ex conspe-
ctu divina essentia fuisse perfusam, sive; In sensitivo quidem appe-
titu fuisse maximam tristitiam, sed voluntatem Christi sive appeti-
tum rationalem beatifico gaudio fuisse plenum. Alii tamen, utpote
Scotus lib. 3. sent. d. 13. Nicolaus de Orbellis Sorbonista Com-
ment. in eum locum, Simon de Cassiâ de gestis Domini Salva-
toris lib. 13. cap. 27. pag. 790. Thomas de Argentinâ Com. in 3.
sent. dist. 15. art. 2. Joh. Maldonatus Jesuit. Comm. in Matth. c.
26. h. v. &c. rectius statuunt; non solum in inferiori, sed etiam in su-
periori anime rationalis facultate Dominum sensisse tristitiam. Fa-
bulam istam seu potius audaciam Papistarum, qui tristitiam Je-
su solâ anime inferiore potentiâ terminatam fuisse communi-
scuntur solidè refutat Dn. D. Dorscheus loc. cit. §. 175.
seqq. Eandem attingit B. Gerhardus loc. alleg. pag. 1744. b.
ἔως θανάτου usq; ad mortem se tristem esse porro ait Salvator,
scil. tum *extensivè*, ut ajunt veteres, quia tristitia illa & mœror
animi usq; ad ultimum in morte suspirium duravit, tum *inten-*
sivè, quia fuit mortifera tristitia, & dolor ipsâ morte gravior.
Hæc ἀγωνία & summa anime anxietas Christi fecit, ut ipse *de*
calice (in quo vinum iræ divinæ adversus peccata æstuantis &
maledictionis infernalis) *à se transferendo ter Patrem rogave-*
rit, Matth. XXVI. 39. 42. & 44. Marc. XIV. 36. 39. & 41. *sudo-*
rem sanguineum sudaverit. Erat enim sudor ejus *ῥοῦμι δὲ*
αἷμα sicut gutta sanguinis decurrentes in terram, inquit Lu-
cas cap. XX. 44. h. e. verus Christi sanguis (*ῥοῦμι* enim non si-
militudinem sed veritatem hoc loco notat,) ex toto Christi
corpore largiter erumpebat, & ex frigiditate aëris in grumos
concretus in terram decurrebat. *ῥοῦμι* namq; grumus pro-
priè est, rei in unam massam concretæ frustum, teste Eustathio. Et
ab angelo confortari, angelorum omnium Dominus necesse ha-
buerit. Luc. XXII. 43. vocabulo ἐπισχύων utitur Evangelista,
quod corroborans & confortans propriè est. Sic defecit præ
angelis! Psalm. VIII. 6. Hebr. II. 7. Sed quæ causæ tantæ mœ-
stitiæ & angoris in Christo? Resp. 1. peccata totius mundi quæ
in ipsum conjecta erant 2. Legis maledictio, omnibus hominum
peccatis.

peccatis debita, quam in se susceperat. 3. *magnitudo iræ divinæ* peccatis sibi impositis incumbentis. 4. *sensus pœnarum infernalium & mortis spiritualis*, quam pro nobis gustare debebat.

§. 3. Passiones internas durante supplicio toleratas, lamentabili desertionis querelâ exprimit *μερίτης*, quando è profundissimo dolorum ac calamitatum lacu clamat Matt. XXVII. 46, verbis ex Psalm. XXII. depromptis, *DEus meus, DEus meus, quare me de reliquisti*. Verba sunt *ἀγωνισθῆναι* & in summâ animæ angustiâ versantis! *Quis clamat?* Dominus Jesus in arbore crucis pendens. *Quid clamat?* Cur dereliquisti me. Me, inquit, non meos, non genus humanum, ut quibusdam placet. *Cur ita clamat?* quia sub tot culparum onere & in torculari gravissimæ iræ divinæ solus positus anhelat, sive quia ob peccata totius mundi sibi imposita Deum patrem aversum à sese & rigerosum peccatorum vindicem experitur. Hinc Origenes tractat. 35. in Marc. apud Thomam in Carena Matth. 27. inquit; *Forsitan videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dixit; DEus meus, DEus meus, quare de reliquisti me?* Uti itaq; *πενυπία ἕως θανάτου, ἐκδάρβησις & ἀδημονία* Christi ex dolorum infernalium & mortis spiritualis sensu itemq; absentia fruitionis visionis beatificæ ortum traxerunt, ita desertio DEI, de quâ Christus hoc loco conqueritur, non est tantum *desertio Christi in manibus Judæorum, prestito ei auxilio nullo adversus illos, quo minus ad mortem raperetur*, ut vult Bellarminus de Anim. Christi cap. 8. Fevardentius dialog. 5. pag. 477. Bilsonus pag. 35. sed est ipsissima *pœna spiritualis & infernalis*, animæ Christi à DEO inflicta, gratiæ divinæ sensum subtrahens & sub mole peccatorum generis humani sine auxilio gratioso ad tempus relinqvens. Regerunt quidem Jesuitæ, *Dolores & pœnas infernales includere I. omnimodam à DEO avulsionem, II. salutis desperationem & III. aeternam durationem*, adeoq; Christum non esse passum pœnas & cruciatibus infernales sive damnatorum; sed respondemus ad I. omnimodam à DEO avulsionem esse extremum gradum dolorum infernalium interiorum, ad quam ob unionis hypostaticæ indissolubile vinculum anima Jesu pervenire non potuit. Ad II. Et quidem I. distinguendo in-

ter dolores; alii enim à DEO ut justo iudice infliguntur, ut pœ-
næ peccati, alii verò ex propriæ sceleratæ conscientiæ morfu
ac cruciatu proficiscuntur, quos inter est desperatio. Non hos
sed illos Christus sustinuit. II. Desperatio non est necessariò
annexa pœnis infernalibus internis, sed si in illis est, est acci-
dens in desperante seu patiente, ex sensu pœnarum istarum
suam originem habens. Et sicut certitudo salutis nunquam a-
mittenda non est ipsa præcisè salus & felicitas cœlestis, sed illam re-
spicit, ut adjunctum suum subjectum docente Paulo Rom. VIII.
33. & c. Ita desperatio non est ipsa pœna infernalis, nempe damna-
tio, horrorq; & tremor & anxietas conscientiæ iram DEI sentien-
tis, sed cum illa conjungitur, Feurborn. Fascicul. II. dissert. The-
ol. disp. I. th. 83. III. Qui desperant, pœnis infernalibus suc-
cumbunt, Christus autem superando vicit, non succumbendo de-
fecit. Aliud etiam est, desperare, & aliud desperatorum & da-
mnatorum supplicium sustinere, illudq; vincere. Hoc Christo
tribui potest, non illud. Optimè B. Gerhardus Harmon. Ev-
angel. cap. 182. p. 1751. Damnati in inferno ideò desperant, inquit,
quia sciunt absq; spe veniæ & liberationis à facie DEI sese rejectos
esse, norunt iram DEI super se in æternum manere Job. 3. vers. 36.
sed Christus ad tempus tantum sensit iram DEI, cujus sensus est ipsa
pœnâ infernalis, ideò mestitiâ, pavore & terrore afficiebatur,
seque à DEO desertum clamabat. Ad III. Pœnæ inferna-
les sive damnatorum *ἄνωδος* seu quidditivè non inclu-
dunt æternitatem, & licet aliàs æternitas ordinariè comi-
tetur dolores infernales, illa tamen duratio ab ipsa rei essen-
tiâ separabilis est, adeoq; dolores damnatorum tolera-
ri possunt, etiamsi in æternuùm non tolerentur. Distingvimus
ergò inter pœnarum spiritualium quidditatem seu essentiam,
& inter earundem adjunctum & circumstantiam. Pœnas infer-
nales Christus pro nobis sustinuit, si spectes earum quiddita-
tem, istam verò annexam æternam durationem, utpote adjun-
ctum earum, non est expertus. Imò in Christo impossibile
fuit, ipsum teneri istis doloribus, quia est infinitus & æternus
DEI Filius, qui infinitâ suâ virtute mortem, omnemq; vim ad-
versam potuit vincere & vicit. Quod itaq; apud homines æ-
ternum

ternum fuisset, ipsâ maiestate & excellentiâ personæ Filii Dei compensatum est. Vide de his D. Feurbornium loco alleg. Giesfens. Disert. Theol. Tom 1. disput. XIII. B. Gerhards Harmon. Evangel. loc. citat. pag 1750. seq. & cap. 202. pag. 2015. Dn. D. Dorscheum Zachar. Theol. part. 1. cap. VIII §. 165. seqq. itemque cap. IX. §. 188. seqq.

§. 4. Auxit non parū interiores Christi perpeffiones I. *horrenda illa scelestissimi Juda proditio*. Non levis dolor est, prodi ac vendi vilissimo pretio, à proprio discipulo, atrocissimis inimicis. Sanè Dominus tantum inde concepit dolorem, ut in medio convivio paschali turbaretur spiritu, protestaretur ac diceret; *Unus ex vobis tradet me*, ut refert Johannes cap. XIII. 21. Prodit autem discipulus Magistrum osculo, *ô signum sacrilogum*, exclamat Chrysostomus hom. I. in Feriâ 5. Pass. Dom. *ô conventus nefarius; ô placitum puniendum: ubi ab osculo incipitur bellum & per pacis indicium, rumpitur pacis sacramentum*. Propterea Salvator etiam Juda, inquit, *osculo prodis Filium hominis?* h. e. exponente Ambrosio Tom. 4. Psal. 39. *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? Osculo, quod sacre pacis insigne est; osculo, quo amicitia fida firmatur, osculo, quo fides sancta signatur? Hoc ergò osculo, tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes: & tradis Filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cælo*. Hoc ergò sancto pacis, charitatis, religionis, concordie & subjectionis symbolo perfidus Judas ad proditionem suam abutitur & ut Hieronymus ait, *dat signum osculi cum veneno Diaboli*, sive & Ruffinus in expof. Symbol. apud Cyprianum pag. 571. inquit; *Per molle osculi blandimentum execrabile proditionis insigit jaculum*. II. *Discipulorum per fugam dilapsio*. Deserunt amicissimi & in medio hostium agmine atq; in præsentissimo vitæ periculo solum relinquunt Dominum. Fugiunt illi, qui in mortem sese cum ipso ituros paulò ante erant polliciti. Sic enim prædixerat Joh. XVI. 32. *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergami unusquisq; in propria & me solum relinquat, & non sum solus, quia Pater mecum est*. Ex hac discipulorum turpi desertione internæ passi-

sioni Christi magnus accessit cumulus, de eâ conqueritur. Psal.
LXIX. 25. *Expectavi, qui simul contristaretur, & nemo fuit, &
qui consolaretur, sed nullum inveni.* III. *Trina Petri abnegatio.*
Probra & verbera amantissimus Jesus acerbè sensit, sed acerbis
negationem Petri. Inter primos Christus maximè diligebat
Petrum, inter Apostolos Petrus audacissimè negabat Chri-
stum. Ast non semel tantum sed iterum ac tertium negabat,
contemptæ ancillæ voce territus, & dicta insuper execratione
& juramento confirmabat. IV. Exaggerabant animi tristi-
tiam *falsæ accusationes, & conficta crimina*, quibus in confessu
Sacerdotum & Phariseorum onerabatur; *tot illusionum, contu-
meliarum & injuriarum genera*, quibus ab infimis mancipiis ac
vilissimis ministris non ex lege aliquâ, nec ex præscripto Magi-
stratus nec ex sententiâ Prætoris, sed ex solâ scelestissimorum
satellitum libidine excipiebatur. *Exhorrescat cælum, contre-
miscat terra de Christi Salvatoris patientia!* jure merito excla-
mat Chrysostronus. Servi, calones rerum Domino insultant!
Scurra & fax mera nebulonum innocentissimum Jesum variè
deludunt, vultum illius obvelant & percutiunt; modò linte-
um album raptim perforatum humeris ejus ludibrii causâ in-
jiciunt, & sic per urbem deducunt; modò rubro, detrito & ob-
soleto, ex scrutis in Prætorio eruto pallio propriis vestimentis
exutum amiciunt, & sic joculariter purpuratum, spinis insuper
coronatum vel potius oneratum & arundine pro sceptro regio-
donatum Dominum gloriæ tanquam falsum ac fictitium regē
aut principem irrident, & ludibrio exponunt. Hæc interdum
facta sunt, quæ verò ludibria, quæve contumelias tota nocte
precedente à pessimis nebulonibus mitissimus Jesus perpeffus
sit, *ipsa dies Domini manifestabit*, inquit Hieronymus. Imò jam
in cruce pendentem cœli terræq; Domino omni ludibriorum
genere insultare homines omnem exuti humanitatem non de-
sinunt, vide Matth. **XXVII. 39.** seqq. Marc. **XV. 29.** seqq. Luc.
XXIII. 35.

§. 5. Vidimus spirituales, sive quæ ad animum pertinent
passiones, & dolores, horumq; objecta & causas, sequuntur quæ
ad cor.

ad corpus. Corporalium autem suppliciorum I. est *Vinculorum injectio*. Judas innocentem Jesum osculo tradiderat, armata ergò cohors, & tribunus ac ministri Judæorum ipsum, tanquam publicum latronem ac sicarium in aperto maleficio deprehensum *comprehendunt, ac ligant*. Joh. XIX. 12. Sanctissimas Manus illas, quibus tot miracula & sanationes patrauerat, duris arctisq; vinculis constringunt. Anselmus dicit, quod *tàm duriter ipsum ligaverint, ut ex omnibus unguibus sanguis egrederetur*. Catenas ferreas collo injiciunt, &c. Quomodo n. parcerent recens capto, qui insultarunt in cruce defesso? II. *Ad diversa Judicum tribunalia actandem ad supplicii locum violenta deductio*. Vinctum constrictumq; Jesum cum ludibrio & derisu ex horto ad radices montis Oliveti sito per vallem Josaphat in urbem Hierosolymam nō tam abducunt, quàm trudent & præcipitant, & primum quidem ad domum Annæ Pontificis, mox ad Cajaphæ sacerdotum principis palatium, ab hoc ad Romani præsidis, Pilati ædes, inde ad Herodis palatium, hinc iterum sed per aliam viam ad Pilatum, sive prætorium & inde deniq; per magnam civitatis partē perq; portam judicariam & extra urbem, per arduam & petrosam viam ad supplicii locum. Observa hinc, quam amara itinera, eaq; satis longa, pedes & sine cibo, nostrâ causâ confecerit Dominus parvi temporis spacio nec citra summam defatigationem. Christianus Adrichomius in Theatro Terræ Sancto in descriptione Hierosol. studiosè annotavit locorum jam dictorum distantiam. *Anna domum distitisse, inquit, à loco, in quo captus est Dominus bis mille trecentis sexaginta gressibus; A domo verò Anna per trecentos triginta gressus ad domū Cajaphæ abductum: A domo Cajaphæ mille gressibus sive passibus distitisse palatium Pilati. A palatio Pilati viam trecentorum quinquaginta gressuum esse ad palatium Herodis: A palatio Herodis Dominum per sexcentarum ulnarum intervallum aliâ viâ, quam venerat, ad palatium Pilati reductum. A palatio Pilati usq; ad locum ubi crux rupi infixâ fuit fuisse gressus mille, trecentos viginti & unum. Gressus autem (addit) de quo hinc loquimur, duos pedes & se*

Et semissem continet. Vide ipsum num. 118. & 207. Hanc circumductionem laboriosam & dolorosam fuisse, nemo, reor, inficias ibit. III. *Crudelis percussio.* In atrio Cajaphæ, ut videtur, in ipso examine atq; confesso, conspectuq; Synedrii palmâ vel bacillo sanctissimâ Jesu faciem indignissimè percussit vilissimus servus, referente Johanne cap. *XVIII.* 22. Post dictam verò mortis sententiam, ac dissolutâ Synodo, rursusque in matutinum tempus indictâ, inter sputamenta & reliqua ludibria non ministri solùm, sed & quidam Principum & Scribarum, ut ex Matthæo probabiliter colligitur, mitissimum Jesum bacillis, fustibus, palmis, pugnis ceciderunt. Lucas inquit cap. *XXII.* 64. quod *percusserint faciem ejus*, Matthæus verò cap. *XXVI.* 67 & Marcus 14. v. 65. clarius id exprimunt, dicentes, quod *quidã colaphis eũ ceciderint, quidam verò palmas in facie ejus dederint, atq; alapas illi impegerint.* ῥάπισμα Bezæ & aliis est ictus, qui virgâ, bacillo vel fuste incutitur, sumptâ voce διπο τῆς ῥαπίδος, quod bacillum, fustem vel virgam notat. Hinc ῥαπίζειν à Plutarcho in Themistocle usurpatur pro virgâ cadere, fuste percutere vel ferire. Syrus, Vulgata, Erasmus, Arias Montanus aliiq; reddunt *alapas dare vel infligere*. Glossa Stephani ῥαπίζειν exponit per *expalmare, alapare*. Nonnus Evangel. Johannis Metaphrastes per *πατάσσειν παλάμη palma percutere*. Suidas etiam vult, ῥαπίζειν esse ἀπλη τῆ χειρὶ πατάσσειν, *manu planâ vel passâ ferire, petere*. Χεὶρ ἀπλή enim est *manus passa*. Econtra κόνδυλος *condylus*, est *manus contracta* & in pugnum jam contracta, à quo κονδυλίσαι καὶ κολαφίσαι dixerunt vide. Heinsii Aristarchum Sacrum p. 940. & 941. Adeoq; quod Evangelista Matthæus dicit; καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν, ὅτι δὲ ἐῤῥάπισον, eruditè vertit Vulgatus Interpres; *Et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt*. Inter κολάφον & ῥάπισμα hanc statuunt differentiam, inquit B. Gerhardus Harmoniæ Evangel. cap. *CLXXXIX.* p. 1836. quod *colaphus impingatur pugno sive manu compressâ, ῥάπισμα verò palmâ sive manu porrectâ, quem ictum solent nominare alapam*. Sic apud Plautum in *Casina* hac conjunguntur: *Compressane palmâ an porrectâ ferio?* &c. Jacobus Tirinus Jesuita in loc. cit. Matth.

Matth. Primò, ait, *palmas seu alapas, in faciem impingunt. Secundò colaphis, manu in pugnum contractâ verberant caput, col- lum, dorsum. Tertiò, sputis faciem commaculant; quod summa ignominia est & contemptus. Quartò, genas vellunt, barbam (Es. L. v. 6.) expilant, calcibus corpus impetunt. Quintò, faciem ve- lant, blasphemis & convitiis incessunt. Rectè Sedulius;*

non deniq; passim.

Vel colaphis pulsare caput, vel cadere palmis,

Vel sputere in faciem, plebs execranda quievit.

Sed nec in Cajaphæ Sacerdotum summi palatio solùm, verùm etiam in Romani Præsidis aulâ, sive Prætorio, post diram flagellationem alapis JESUM cædunt, Johann. XIX. 3. & arundine (*κάλαμον* appellant Evangelistæ) quâ ipsum loco regii sce- ptri per ludibrium donaverant, caput ejus formidandum Dæ- monibus, reverendūq; omnibus angelis ac sanctis duriter per- cutiunt milites Prætoriani, mancipia Diaboli Matt. XXVII. 30. Marc. XV. 19. Levinus Lemnius lib. de Herbis Biblicis cap. 27. de hac arundine sic scribit; *Arundinis plures sunt differentia, una species est levore perpolita enodis nullisq; distincta geniculis aut internodiis, quæ typha palustris vocatur (Wasserkolben) qualis Christo pro sceptro regali in manum tradita in affectu regni ludi- brium. Est huic stirpi sceptri regalis aut imperatorii forma, cujus cacumen duarum fere palmarum altitudine ac crassitudine pollica- ri, densa compactaq; lanugine stipatur, quam si manu aut digitis de- mulceas, holosericum aut villosam quandam congeriem contrecta- re te credas, quæ tamen post dies aliquot dissolvitur in pappos atq; in diffusam lanuginem evanescit.* Hæc ille. Taceo ictus & pulsus quos in arduo & cruento ad locum supplicii itinere sustinuit.

IV. *Ignominiosa conspuitio.* Colaphos, alapas, fustes & bacillos, comitata sunt sputa & oris sordidissimi excrementa, quibus sanctissima facies Jesu turpissimè defœata & conspur- cata est, & primùm quidem in Palatio Pontificis, tum ab ipsis Pontificibus & Senioribus, tum à ministris & lictoribus, de- inde in Prætorio à militibus Romanis. De illa conspuitione loquitur Matth. XXVI. 67. *Tunc, scil. damnato Jesu & soluto*

E

Con-

Concilio, ἐπέπυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *inspuerunt in facie*
ejus. & Marcus XIV. 65. Et coeperunt quidam ἐμπύουσαν αὐτῷ
conspuere eum. De hac loquuntur iidem Evangelistæ, ille
quidem cap. XXVII. 30. καὶ ἐμπύσαντες εἰς αὐτὸν & *cum ex-*
puissent in eum, sive ut Syrus vertit, *in faciem ejus.* hic vero cap.
XV. 19. καὶ ἐπέπυσον αὐτῷ & *inspuebant in illum.* Uterq; utitur
voce ἐμπύω pro quo poëtice dicitur ἐπιπύω, *inspuo,* & quasi
purulentam & ulcerosam materiam exero, effundo, exonero,
& in alium conjicio. Non vidit Sol unquam & indignius spe-
ctaculum, quam quod sanctissima illa facies, in quâ elucet
ἀπαύγασμα, splendor gloriae divinae Hebr. I. 3. juxta quam est
pulcherrimus inter filios hominum Psalm. XLV. 3. à vilissimis ser-
vis & contemptissimis lictoribus foetida pituita commacula-
tur. Talis conspuatio extremæ ignominiae & contemptus
signum semper fuit, uti colligitur ex Deuter. XXV. 9. Num.
XII. 14. Job. XXX. 10. Sed propter nos hanc summam
ignominiam Dominus sustinere voluit, ut ab animæ nostræ
facie omnes peccatorum maculas abstergeret. Pulchrè Hiero-
nymus; *Sputaminibus susceptis faciem animæ nostræ lavit* & Glos-
sa Ordinar. *Conspui voluit, ut nos lavaret.* V. *Cruenta flagel-*
latio. Joh. XIX. 1. *Tunc ergò apprehendit Pilatus Jesum & flagella-*
vit. Flagellasse dicitur Pilatus, nō quod ipse ad servile hoc opus,
lictoribus expediendum, descenderit, ut Beda in cap. 15. Marci
proprietary literæ inhærens, statuit, sed quod flagellari jusserit,
quod enim quis per alios facit, per se fecisse videtur. Mili-
tari ergò cohorti, à Romano Præside traditus innocentissimus
Jesús, suis vestibus exuitur, omnia illi tegumenta inclementer
detrahuntur, statuitur nudus, quod nemo priscorum Patrum
negat, sed paulò post suo regendus sanguine. Sic paratus ad ver-
bera & plagas in Prætorio ad columnam bipedalem (quæ ad vi-
ri stantis umbilicum duntaxat pertingebat, ut tam pectus, quam ter-
gum rei verberibus undiq; pateret, & in cujus summo ferreus annu-
lus immisos accipiebat funes, quibus flagellandi corpus vincieba-
tur, docente Drexelio Libello de Christo moriente, part. II.
cap. III. §. 4.) funibus Romano ritu adstringitur & servili sup-
plicio

plicio, flagellis dirissimis cæditur, B. Vincentius illud Esaiaæ cap. LIII. 5. *Disciplina pacis nostræ super eum, expendens; instrumento triplici Christum censet flagellatum; virgis viridibus & spinosis, dein loris nodosis, filis ferreis intextis, seu catenulis. Id pænè omnes sentiunt, inquit loc. alleg. Drexelius, flagris è funibus aut loris cum oscillis cæsum* Ἰμάθλην id est loreum flagellum appellat Nonnus, vide Lipsium de Cruce Lib. II. cap. 3. Fuit hæc *μαστιγῶσις καὶ Φραγέλλωσις*, (sic enim appellatur ab Evangelistis) dirissima & gravissima, tum quia non à Judæis, sed à militibus Ethnicis facta, qui non observabant legem Deuter. XXV. 3. Judæis latam, ne scil. in flagellandis facinorosis *quadragessimum ictum* excederent, sed flagellandos vestibus exutos, & columnæ domi aut in prætorio alligatos, vel per viam & sub furcâ loris cædebant ad mortem usq;. Vide Lipsium loc. alleg. cap. 4. & Lib. III, cap. 3. Petrum Fabrum lib. II. Semestr. cap. 6. & 10. & Petrum Tholosanum in Syntagm. lib. XXXI. cap. 1. tum quia Pilatus conabatur miserabili hoc spectaculo Judæorum furorem placare, eosq; ad misericordiam flectere; ut scil. hæc ludibria (& flagella) cupidè biberent, nec ulterius sanguinem JESU sitirent, ut loquitur Augustinus tract. II. in Joh. Hinc quoq; toto corpore flagellis confectum, dumis coronatum & purpureo paludamento & arundineo sceptro joculariter ornatum novo ludibrio quasi personatum in theatro miseræ regem, in conspectum furentis & tumultuanti s plebis producit his verbis: ECCE HOMO, quasi dicat; saltem agnoscite miserabilem hominem, si non vultis Messiam aut Regem? Sed quid illi rugientes adversus mitissimum agnum Leones? *Crucifige, inqvunt, Crucifige, q. d. Benè cœpisti Pilate verberando, perface crucifigendo.*

§. 6 VI. *Spinosa coronatio.* Nempe non sat erat Dæmoni, cui hæc omnia jure merito adscribit Origenes, totâ nocte per Judæos insultasse Filio DEI, voluit & clarâ luce per Gentiles omne genus sannarum depromere, ut *opprobriis* Christus ferendis, Dæmon inferendis satiaretur Thren. III. v. 30. Adorando itaq; illi capiti spineum sertum infigunt. *Crudelissimi*

carnifices, ut eum sanguinem spinarum vulnera exprimerent, cui virgæ & verbera pepercerant, nec tantum ut torquerent, sed ut simul illuderent. Sic Evangelistæ. Matth. XXVII. 29. καὶ πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.* Eadem habet Johannes c. XIX. 2. Marc. XV. 17. καὶ περιθέασιν αὐτῷ πλέξαντες ἀκάνθινον στέφανον, & *circumponunt ei contextam spinis coronam.* En tibi hîc arietem cornibus hærentem inter vepres! Gen. XXII. 13. Indagant aliqui paulò curiosius, è quo spinarum genere hoc sertum Christi sit contextum, sunt qui juncos marinos hîc usurpatos censeant, ut Vincentius Liranus, Salmeron, Pererius, Toletus. Clemens Alexandrinus lib. II. Pædag. cap. 8. factam illam coronam contendit ἀπὸ βάτῃς rubo, & rubum illum confert cum eo in quo Deus Moysi apparuit Exod. III. 2. Casaubonus Exerc. XVI. ad annal. Baron. num LXXIV. refert ex Marcello Empirico, quod ex spina albâ Christi corona fuerit contexta. *Plerorumq; omnium sententia est, inquit loc. supra citat. cap. IV. §. 2. fuisse sertum è rhamno. Freqvens est hoc veprium genus in Palestinâ, plenum aculeis, ericio simile. Nec contradicunt ferti hujus fragmenta, quæ Parisiis in Sacello S. in Hispaniis in cœnobio de Spinâ, in Belgio Lovanii servantur junco dissimilia.* Verum, Drexelius quo argumento notum habuerit, eas spinas quæ hodie ostentantur, tanquam illius coronæ reliquiæ, veras esse, nec fraudem subesse, vellem nos docuisset, cû Casaubono loco alleg. dicimus. Notanter autem ait Marcus quod περιθέασιν circumposuerint Domino coronam illam aculeatis spinis contextam, ut significet violenter capiti quoad omnes partes fuisse adactam & fortiter infixam. Hinc Bernhardus; *Caput illud divinum densitate spinarum usq; ad cerebrum fixum fuit, ita ut sanguis ex capite tractus frontem, genas & collum perfunderet.* VII. *Crucis bajulatio.* Addictus jam morti JESUS & ad crucem damnatus à Pilato in vitam necemq; Judice Romano, extra urbem ad locum publicis suppliciis infamè, (quem à mortuorum craniis, quæ passim sparsa ibi essent, ut quidam autumant, Judæi indigitabant) populi impetu protrusus, deducitur,

tur, viamq; sanguine ubiq; signat. Et licet vinctus, defatigatus, debilis, jamq; mille plagis ac vulneribus propè exanimatus, suam tamen amplectitur crucem, eamq; bajulat, ut ostenderet *imperium super humeros suos*, juxta Theophylactum in 23. cap. Luc. ex Es. 9. v. 6. & ut *contra Diabolum trophæum ipse ostentaret*, ut inquit Athanasius de Pass. Domini tom. I. pag. 797. Hinc Chrysoſtomus homil. 85. in Joh. *Quemadmodum victores, ita JESUS victoria signa humeris tulit. Grande spectaculum, ait Augustinus in Johan. sed si spectet impietas, grande ludibrium, si pietas, grande mysterium.* ἡγὶ βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτῶν, *Et bajulans sibi crucem*, inquit Johannes XIX. 17. *exiit, in eum, qui dicitur Calvaria, locum, Hebraicè autem Golgotha.* βαστάζειν de grandis alicujus oneris gestatione usurpari assolet, vide Luc. VII. 14. Joh. XX. 15. hinc φορτίον βαστάζειν *onus portare* Gal. VI. 5. inde facile colligitur, Crucem Christi fuisse lignum grave & ponderosum, magnâ cum molestiâ portandum. *ô quam molestum ac operosum iter sub tanto, tamq; infami pondere! sub gravissimâ mole arboris decussatæ! Ast non tam crucis lignum, quam omnia Orbis piacula uni JESU luenda, ipsum solum premebant!* Es. LIII. 4. Joh. I. 29. Vocatus tamen est in societatem hujus bajulationis crucis Simon Cyrenæus, ut ex reliquis Evangelistis patet. An verò Christus anteriorem, Simon posteriorem crucis partem portaverit, sive, an Christus in ipsâ urbe solus crucis molem gestaverit, Simon verò extra urbem eam in se suscepit, disputant. Nobis posterius placet. Vide hic Lipsium de Cruce Libr. II. cap. 5.

§. 7. Pervenimus tandem cum lasso & ad deliquium usq; animæ defatigato JESU ad sacrum verticem montis Calvariaë, atq; adeò ad supremum culmen mysteriorum humanæ liberationis. Hic XIX. consideranda *Vestium detractio*. Sæpius Domino mutant vestes, partim ut ignominiam, partim ut dolorem ipsi augeant. Flagellandum in Prætorio propriis vestimentis exuunt, nudumq; flagris cædunt, post flagellationem rubrum, vetus, lacerumq; pallium, ludibrii plenum hominî undeqvq; vulnerato injiciunt. Cum ad crucis infame sup-

plicium educendus esset, iterum chlamydem coccineam ex vibicibus sanguine madentibus, quibus impacta erat, non sine exquisito cruciatu vi detrahunt, & proprio vestitu amiciunt, Matth. XXVII. 31. Marc. XV. 20. Denique crucifigendum jam, propriis vestibus quas grave crucis jugum arctius dorso, humerisque cruentatis & vulneribus plenis impresserat, violenter iterum spoliant, nudumque cruci adsternunt. Moris enim erat nudos crucifigere. Vide Josephum antiquit. Jud. lib. XIX. cap. 3. Lipsium de Cruce lib. II. cap. 7. Servatorem verò nudum in crucem actum esse colligitur ex eo, quod milites vestimenta ipsius postea dividunt & de tunica sortiuntur, ut docent Evangelistæ omnes. IX. *Crucifixio*. Nudum ergo & vestibus spoliatum Jesum milites in jacentem crucem dejiciunt, aut in erectum, quod verius videtur, attollunt, clavisque ferreis per manus ac pedes actis ligno crucis affigunt. *Et crucifixerunt eum*, inquit Evangelistæ Marc. XV. 25. Luc. XXIV. 20. *Et cum eo duos latrones hinc & hinc, medium autem Jesum*. Joh. XIX. 17. 18. Inest huic supplicio maxima ignominia & crudelitas sive atrocitas. Hinc dicitur Hebr. XII. 2. *Pertulit crucem contemptam ignominia* & Hebr. XI. 26. *ὄνειδος μὲν χριστῷ ἔστιν ὄνειδος* *probrum Christi*. Lactantio lib. 4. Instit. cap. 26. *est infame supplicium*. *Infame, humilibusque tantum personis ordinariè irrogandum* leg. aut damnatum §. sed enim π. de poen. Cicero Orat. V. in Verrem vocat *crudelissimum ac teterrimum supplicium*. Paulus Ictus lib. V. sent. tit. 21. appellat *summum supplicium*. Ulpianus ad Leg. Cornel. falsi *supremum supplicium*. Nonnus in cap. XIX. Johan. *ἐλέγχιστον τίνα πόντον*, *damnatissimum quoddam fatum*. Mors in cruce lenta, probris, ignominiiis, cruciatibus plenissima, ore omnium maledicta. In hac tamen exspiravit cum clamore valido & lacrimis summum cœli terræque decus, DEI hominisque filius Jesus, *Crucisque ignominia credentium facta est gloria*, ut inquit Bernhardus serm. 4. de ass. Mari. X. *Amari potus oblatio*. Potus Christo datus fuit & ante & post crucifixionem. Ille ex vulgari usu, hic præter morem & de siti conquerenti. Uterque malitiæ & crudelitatis testis fuit. Ante supplicium *vinum myrratum* ut Marcus ait

cap.

cap. XV. 23. & acetum cum felle mixtum ut Matthæus habet cap. XXVII. 34. à militibus Christo obtruditur, non ut defatigatum reficerent, sed illusionis & cruciatus ergò. Hinc quoque; vel loco vini acetum offerebant, vel vinum, quod solenni consuetudine cum grano thuris mixtum supplicio afficiendis dari fuit solitum, aceto largiter infuso ac myrrhæ, fellisq; admixtione corrumpebant, cum Christo esset dandum. Vide Gerhard. Harm. Evang. cap. 197. Dorscheum Theol. Zachar. part. I. cap. IX. §. 336. Sed hunc felleum & myrrathum calicem Christus libavit tantum. In cruce pendenti & sitienti non modò aquam denegabant, sed etiam pro aquâ, acetum, quod sitim magis auget, quàm restinguat, præbent, hocq; accepisse Jesus dicitur. Matth. XXVII. 48. Joh. XIX. 30. XI. *Lateris perfossio.* Detestanda petulantia & immanis crudelitas est, quod militum scelestissimus non prohibitus autoritate Centurionis, qui publicum innocentiae testimonium Christo dederat, nec deterritus horribilibus prodigiis, quæ moriente Domino contingerant, in demortuum JESU corpus, cui Natura parcendum esse docet, sævit, ac lancea illius latus fodit, *quo vulnere Christum amisisse, quicquid in corde residerat sanguinis, dicit Cyprianus de dupl. Martyr.* Ex hæctenus dictis patet, nullum corporis membrum, partem nullam, in Christo cruciatibus vacasse; *Divinum verticem aculeati sentes perfodiunt: Faciem livor, sputa ac cruor deformant: Oculi pugnibus penè rumpuntur: toties colaphus malas contundit: Aures cruciantur horrendis blasphemis & convitiis: Ori osculum figitur, contra leges humanæ conditionis, conventionisq;, proditionis tessera: manus vincula constringunt, ac tandem prægrandes clavi unâ cum pedibus perforant: humeri excelsâ trabe onerantur. Dorsum petusq; & brachia hamata flagella lacerant: Lingva fellis amaritie & siti torquetur: Latus vulneratur & lanceâ transfigitur. Totum corpus miserabilem in modum laceratum in ligno crucis diducitur & expanditur.* Rectè Augustinus in sententiis; *Justi justorum & Sancti sanctorum passio superat omnes passiones.* Meritò ergò exclamat Jesus; *O homo, vide, quæ pro te patior: non est dolor, sicut is, quo crucior; ad te clamo, qui pro te morior:*
vide

*vide pœnas, quibus afficior: vide clavos, quibus confodior: cumq;
tantus sit dolor exterior, interior planctus gravior est, cum te tam
ingratum experior.* Bernhardus.

QUÆSTIO IV.

A quibus est afflictus?

§. I. Si eos respicias à quibus Dominus JESUS est afflictus & aliquid passus, invenies omnia hominum genera, omnem sexum, omnem ætatem, omnem conditionem; Viros, foeminas; juvenes, senes; summos, infimos: principes, populares: sacerdotes, laicos, liberos, servos: amicos, inimicos: Judæos, paganos, simul quodammodo convenisse & in condemnationem atq; in cædem sive interitum Christi consensisse aut conspirasse. Uti enim omnia, & pro omnibus, ita quoq; ab omnibus passus est. *Convenerunt verè* (inquit Petrus Actor. IV. 27. 28.) *adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel.* Passus est à suis Salvator, siquidem unus eorum ipsum audacissimè negabat, alter perfidissimè prodebat, reliqui turpiter deserebant. Herodes rex cum ministris ac aulæ muscis (ut loquitur Heinsius Orat. de pass. Dom.) Christo illudebat. Principes Sacerdotum & Seniores populi falsò & per calumniam illum accusabant, conspuebant, colaphizabant, ad mortem condemnabant. Romanus Præses Pilatus ad flagellandum tradebat & ignominiosissimo crucis supplicio adjudicabat. Milites Romani plaustra convitiatorum in ipsum congerebant, in fontem in Prætorio dirissimè flagellabant, spinis coronabant, arundine percutiebant, *πάρισμασι* sive alapis onerabant, sputis defædabant &c. Fæmellæ discipulum ejus Petrum ad abnegationem permovebant. Judæi Christum proditum, percussum, flagellatum, vulneratum *Ἐπὶ χειρῶν ἀνόμων* cruci affigebant & interimebant Actor. II. 23. promiscua prætereuntium turba ac alter suspensorum Latronum crucifixo convitiabantur. Vide Thomam p. 3. q. 46. art. 5. concl. 1.

Nec solùm homines

omnes

non est hater, sicut in pro cruce, sicut in pro cruce

vide

omnes, sed omnes etiam Dæmones in Domini necem conspi-
rabant. Totus infernus, tota inferorum rabies summo nisu,
summâ vi, in ipsum irruebat. Hoc enim est, quod apud Lucam
Christus ait cap. XXII. 53. *Hæc est hora vestra & potestas tenebra-
rum.* Hoc est, Diabolus princeps tenebrarum ad hanc rabiem
vos impellit, ac sollicitat, ejus opera facitis, ei obsequentes vos
hac in re præstatis.

§ 2. Non Deus itaq; sceleratos homines occulto impul-
su movit aut decreto quodam absoluto coegit ut Christum tam
miseris modis tractarent, ut Calviniani impiè docent. Non
enim Deus sed Satanâ misit in cor Judæ, ut Christum proderet
Joh. XIII. 2. Neq; à Deo, sed à Satanâ impulsus sunt Judæi, ut
Christum crucifigerent. Hinc notanter dicit Petrus loco su-
pra cit. *Convenisse Herodem & Pontium Pilatum cum gentibus &
populis Israel* *ἑνεργῆσαι* *facere* (ad faciendum) *quæ manus &
consilium Dei decreverint*, non ut facerent, sed *γενέσθαι* *fieri*, sive
ut fierent. Præscivit quidem Deus ab æterno illam Judæorum
crudelitatem, eam verò nec voluit, nec approbavit, multò mi-
nus decrevit, sed permisit, & pessimum crimen ad salutarem fi-
nem direxit. *Actio displicuit, passio grata fuit*, inquit Prosper.
Actum Judæorum non voluit Deus, passionem verò Christi voluit,
inquit Lombardus lib. I. dist. 48. Pulchrè Leo serm. 16. de Pas-
sione Domini; *Multum diversum, multumq; contrarium est id,*
quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod de
passione Christi est dispositum. Non inde procescit voluntas
interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno exitit
spiritu atrocitas sceleris & tolerantia Redemptoris, non e-
nim impias furentium manus in se Dominus immisit, sed admisit,
nec præsciendo, quod futurum est, coëgit, ut facerent, cum tamen ad
hoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret. Idem serm. 10. de
Pass. *Manus impia furentium, dum proprio incumbunt sceleri,*
famulata sunt redemptori. Augustinus inquit; *Deus Pater per-*
cussit Filium pro nobis ex bonitate & misericordia, Judæi percusse-
runt ex invidia & malitiâ suâ.

F

QUESTIO

QUÆSTIO V.

Ubi est passus?

§. 1. Passionis ac mortis suæ exordium Dominus ab horto duxit. A Coenâ enim ultimâ surgens cum discipulis trans torrentem, cui ab umbrosâ valle nomen quæsitum, in villam Gethsemani, (de quâ Hieronymus in lib. de locis Hebraicis Lit. G. testatur, quod *ad radices montis Oliveti fuerit sita*) & in hortum Oliveti, huic villæ conterminum ac rupi cuidâ concavæ adhaerentem (vide Adrichomium in Theat. Terræ sanctæ, in desc. Hieros. num. 187. & 188.) recedit, ibiq; supplex Patrem rogat, contristatur, cum morte luctatur, gemit, suspirat, ac non sine miraculo sanguinem sudat. Captus quoq; ibi, vinculis constringitur, vinctusq; in urbem Hierosolymam ducitur. Ab horto igitur nobis interitus, ab horto vita & salus. Convenienter passionis initium in horto ceptum, quia prævaricationis initium in horto commissum. Gen. III. 1. Rectè Cyrillus lib. XI. in Joh. c. 31. *Ut in paradiso malorum initium est factum: sic in horto Christi passio incipit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus.* Augustinus serm. 71. de temp. *Conveniens erat, ut ibi funderetur sanguis Medici, ubi primum cœperat morbus ægroti.* Theophylactus in c. 18. Joh. *Dignum erat, ut ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia.* Dein passus est in ipsâ urbe Hierosolymâ, in diversis ædibus ac palatiis, ante & in prætorio, in publicis plateis. Passus est in eâ Civitate, in quâ tot ægros homines curaverat, tot cœcis lumen, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot mortuis vitam restituerat. Deniq; *extra urbem ductus in monte Golgotha* suam consummavit passionem. Erat autem Calvariæ mons, Hebraicè Golgatha, locus publicis suppliciis infamis, urbi Hierosolymæ, ad plagam Occidentalem, quâ parte vergit in Septentrionem, vicinus Joh. XIX. 20. petrosus & mediocriter altus, vide Hieronymum lib. de loc. Hebr. lit. G. Adrichomium loc. all. num. 235. Gerhard. Harmon. Evangel. cap. CXCVII. Qui verò olim

olim extra urbem erat mons Calvaria, in hodiernâ Hieroso-
lymâ, Aelia dicta ipsis muris & mœnibus clauditur, sicut & se-
pulcrum Dominicum. *Propterea autem extra civitatem & ex-
tra muros Christus passus est*, eruditè monet Augustinus serm.
130. de tempore, ut intelligas, quod communis est hostia pro gene-
re humano oblata, ideoq; communis est purificatio. confer Hebr.
XIII. 12. Passio itaq; Domini in horto inchoata, in Urbe
continuata & extra urbem in monte Golgotha
consummata est.

Τραύματα τοῦ Θεοῦ Φίλε Φίλτατε ἰρὰ,
Ῥφελέειν σοι αἰεὶ τραύματα τᾶυτα
θέλω.

16 κατὰ

αὐτεσχεδίασε
Suo Robero

M. Christophorus Rhevvendus
Zechlinensis Marchicus.

הולק בתם לב אחר הבונה
יקח בערה משכרת יקררה:
אהוב חלא גם אתה גמולה
תקח יקררה על התלאה:
תוסיף לבקש—כּן אף הדרים
מחר לה יבואו גדולים:

M. Daniel Ziefftruncf/Betterf. Sax.
Alumn. Electoral.

HONORI.

*Pereximii Dni. M. Respondentis, Consobrini sui
dilectissimi*

Nonne Patris tanti radiis splendescere pulchrum?
Pulchrius ast propriâ luce nitere putes,
Vel præsens Meletema tuum, sub Præside Magno,
De **CHRISTO PASSO**, Clare **ROBERE**, probas.
Æmulus

*Amulus es Patris, capies quoque præmia Patris,
Dum cupidus laudis, dum pietatis amans.
Inde Patris Magni exultabunt ossa sepulchro,
Vivet & in Nato [suffice JOVA!] diu.*

appos.

*M. Fridericus Philippus Balduinus
SS. Theol. Stud.*

*Das ist die beste Kunst auff dieser schwachen Erden:
In Christi Creutz und Todt ein weiser Mensch zu werden.*

*Denn wer den Glauben hat und kennet Christi Striemen/
der kan sich auch getrost des Creuzes Christi rühmen.
Wohl dann mein Röber dir/dieweil du Christum liebest/
und deine Wissenschaft in Seiner Marter übest;
Hier lesen wir durch dich/wie Gott und Mensch gelitten/
und unsrer Seelen Todt durch seinen Todt bestritten;
Wie aber Gott und Mensch in diesem Fleisch gewesen/
Das werden wir einmahl in jener Schulen lesen.
In dessen wollen wir mit dir die Welt verachten/
Und bis an unser Grab stets Christi Todt betrachten.*

*Seinem vielgeliebten Herrn Vetter zu
Ehren schrieb es*

*Christianus Adolphus Balduinus,
Nob. C. C. P. & LL. S.*

is
yl
ng
en
og
LIS
—
er
n/
/
n/


05 A 510

ULB Halle 3
004 208 110


VD17







ONE

S NOSTRI JESU

EMIDECAS

TE GRATIA,

QUENSTEDT,

rd. Coll. Phil. Adj.
gij Veteris

IS RÖBERUS

phiae Studiosus.
ututinis

E,
FINCELII,
LVI.